G. WESSELS

LIBRI TRES

DE CALAMITATIBUS TEMPORUM

B. B. MANTUANI

ck d. to Mr. W. C. Mu

B. BAPTISTAE MANTUANI
PRIORIS GENERALIS ORD. CARMELITARUM

LIBRI TRES

DE CALAMITATIBUS TEMPORUM


NOVA EDITIO

ANNO SAEC. IV A MORTE AUCTORIS

CURANTE

FR. GABRIELE WESSELS

ASSISTENTE GENERALI EIUSDEM ORDINIS



(Ex Editione Operum 1516)


ROMAE
ANNO MDCCCCXVI
VIA SFORZA PALLAVICINI, 10

IMPRIMATUR: Fr. Ioannes M. Lorenzoni, *Vic. Generalis*

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX

DE

CALAMITATIBUS TEMPORUM


XXXI
B. Baptista Hispaniolus
Mantuanus
Electus Gnalis in Comitijs Romae habitis 20. Maij 1513.

B. BAPTISTAE MANTUANI

PRIORIS GENERALIS ORD. CARMELITARUM

LIBRI TRES

DE CALAMITATIBUS TEMPORUM

NOVA EDITIO

ANNO SAEC. IV A MORTE AUCTORIS

CURANTE

FR. GABRIELE WESSELS

ASSISTENTE GENERALI EIUSDEM ORDINIS



(Ex Editione Operum 1516)

ROMAE

ANNO MDCCCCXVI

Via Sforza Pallavicini, 10

RMO P. GABRIELI WESSELS

QUI NOVAM HUIUS POEMATIS EDITIONEM

CURAVIT ET ILLUSTRAVIT

DISTICHA

Docte Pater, Gabriel, Carmeli ex Ordine claro,
    Sit laus digna tibi, promeritumque decus.
Quatuor expletis saeclis a morte Poëtae
    Baptistae, celebrem Mantua quem recolit;
Quique Beatorum resplendet honoribus auctus,
    Et Carmeliticum Sidus in orbe micat;
Illius vitam narras, defendis honorem,
    Plaudis et eiusdem dotibus egregiis.
Cuius plura studes committere carmina prelo,
    Tres opportuna seligis arte libros.
Aetate hac nostra, partim renovantur iniqua,
    Quae cecinit Vates versibus altisonis.
Ad Dominum redeant populi! mala cuncta recedent,
    Bellaque cessabunt, Pax alet usque domos!

Blasius Verghetti

SS. RR. Congr. Hymnographus

PRAEFATIO.

Ut aliquo saltem modo ex parte quoque nostra celebremus *Quartum Centenarium* mortis B. Baptistae Spagnoli seu Mantuani, nihil melius nos agere posse confidimus quam reimprimere unum ex melioribus eius poëmatibus inscriptum *De Calamitatibus Temporum,* quod, licet exaratum anno 1479, quo teterrimae pestis, famis validissimae, cruentorumque bellorum flagellis universa propemodum Italia afflictabatur, tamen ob varia rerum adiuncta, etiam hac nostra aetate satis gustari poterit. Describit temporis calamitates, depingit harum causas (septem peccata capitalia), virtutem elegiace inducit conquerentem de sui despectu et contemptu, ac tandem cum remediis producit sensum veri christiani et civis. Badius Ascensius in praenotationibus ad amplum commentarium ed. 1506 adiungit i. a.: « Intentio (¹) vero, si non fallor, est, ut iuxta priscum Carmelitarum Institutum opus boni operarii in Vinea Christi exhibeat: id est, ut, expulsis e mentibus nostris vitiis, virtutis sementem inserat, atque ita compleamus quod dicitur: declina a malo et fac bonum; simulque ut animo suo morem gerat. Cum enim habeat egregiam ad heroicum carmen, id est, ad reges et praelia venam, ne forte suae professioni congruere iudicaret(ur) hominum praelia describere, vitiorum pugnam instruit, non tacens tamen turcorum insultum » (²).

(¹) Hanc generalem reformationis intentionem per totam vitam habuit quoad Ordinem, qui tunc iam reformatus erat in sua Congregatione, et quoad Ecclesiam universam. In Editione 1513 has praenotationes omisit Ascensius, sed in principio commentarii scribit: « Sanctae ac salubris eruditionis plenissimum est, usque adeo, ut poeta cum alibi alios, hic sese superasse censeatur ».

(²) Ad capienda arma contra infideles anno 1480, suadente certe Gonzaga, poëma edidit circiter 1400 versuum ad Reges et Principes christianos in communi et in particulari (Ed. 1576 I fol. 154 etc. Ed. 1513, II fol. 79). Ipse autem illud non admisit in Editione Operum 1502.

In hoc poëmate plus quam in aliis aliquando invehit in vitia, tunc regnantia in Ecclesia. Quod tamen mirandum non est; vixit enim tempore, quod protestantismum antecedit sub Xysto IV, Innocentio VIII, Alexandro VI etc., quando magna ubique corruptio regnabat. Partes politicae contendebant de primatu ecclesiae et plures minime vocati statum ecclesiasticum amplexabantur. Confer infra in nota versus allegatos ex: *De SS. Leonibus*. Hic etiam in L. III libere Papam Xystum deprecatur, ut remedia adhibeat. — Potuisset nominare poëma: *Psychomachiam* i. e. animorum cum vitiis pugnam; non autem fecit, ne Prudentianum titulum occupasse culparetur. Est nunc heroicae, nunc satyricae, nunc doctrinali poësi non dissimile. Non carpit autem vitiosos, sed vitia et salubrem insuper adhibet medelam.

Pauca vero de auctore praemittere necesse est ([1]). Petrus, cui cognomen Hispanus inditum est, quippe qui una cum patre Antonio Modover tempore belli ex Hispania (*Corduba*) in Italiam venerat, Mantuae domicilium fixit et in uxorem Constantiam Brixiae ex familia *Maggi* duxit. Baptista noster, die 17 Aprilis 1448 Mantuae ortus, humaniorum Litterarum curriculum Mantuae ([2]) emensus est, ac inde Patavium profectus, ut Philosophicis disciplinis in celeberrima illa Universitate imbueretur; quo tempore octo priores *Eclogas* suas est modulatus.

Plures asseruerunt, Baptistam fuisse filium illegitimum, quod tamen fabulam esse me solide probare posse confido. Primus illud protulit Iovius anno 1546; hic autem auctor, ut notum est, habuit duas pennas, ferream nempe vel auream *secundum retributionem,* et hoc ipso loco duos alios errores commisit; scribit enim Mantuanum mortuum esse octogenario maiorem, quum haberet tan-

([1]) Cf. etiam *Il Monte Carmelo* II 1916, A. Sardi Episcopum p. 73, Th. p. 107. P. A. Cuschieri p. 238 Ph. Ermini p. 294, P. Caioli *ib.* 1915 p. 70 et *Analecta O. C.* I, P. Ser. Opielka, p. 457, 482, 550, 583.

([2]) Ferd. Gabotto ed Ang. Badini Gonfalonieri: *Vita di Giorgio Merula.* Alessandria 1894 p. 33 etc. Ita etiam Ludovicus a S. Theresia O. C. D.: *La Succession du Prophète Elie.* Paris 1662, quod opus magni aestimatur, quia fecit speciale studium de nostro Poëta, de quo tractat per 14 pp. in folio. Floridus Ambrosio tenet eum Mediolani audivisse Merulam. Ipse autem Baptista scripsit P. Arnoldo Bostio (*Mon. hist. Carm.* I p. 492): « Perrexi et ego post magni et incomparabilis viri Gregorii Tipherni disciplinas, Mantuae imbibitas, Patavium, deinde Ferrariam, postremo Bononiam (quae sunt optima Italiae gymnasia) ut doctior fierem et adhuc discipulus sum ». Cfr. p. 499 ibidem.

tum 68 annos, et Federicum Principem marmoream effigiem cum laurea posuisse, cum princeps *Franciscus* illam effigiem de *terra-cotta* collocari fecerit. Non tantam igitur meretur fidem. Auctoritate Iovii idem affirmarunt Bern. de la Monnoye, Niceron etc. Niceron vero (tomo 27) et alii retinent Ptolomaeum, fratrem Baptistae, legitimum. Iam in editione operum 1576 in Epistola Dedicatoria haec opinio circa Baptistam refutatur et P. Floridus Ambrosio O. C. in egregio opere: *De rebus gestis ac scriptis Operibus Baptistae Mantuani,* Taurini 1784, (pp. 220 in 4°) illam iterum refellit. — Anno autem 1873 St. Davari publicavit Mantuae opusculum 16 pp. (*Della famiglia Spagnolo*) in quo edidit epistolam 1512 Ptolomaeo directam in qua se subscribit mittens « *Pouola Vostra di Maze Vostra madre* ». Igitur Ptolomaeus esset certe illegitimus. Argumentis ingeniosis, ut etiam Gabotto ea nominat, sed non concludentibus, ibi defendit ut *probabile,* Baptistam etiam eandem matrem habuisse, cum in Operibus nominet Ptolomaeum fratrem germanum et alios fratres quidem carnales sed numquam germanos, atque Constantiam Maggi, (latine Maii) quidem matrem, sed nunquam matrem meam vel nostram ([1]). Insuper in septima ecloga loquitur de noverca: « Durus, et immitis pater atque superba noverca », et iuxta plures ibi mentio fit de matre *Maggi*. Nullo autem modo certum est, eum ibi de ea loqui; insuper est tantum imitatio Virgilii (ut pluries facit) qui habet: « Est mihi namque domi pater atque iniusta noverca » et in prima Ecloga designatur « aspera mater, durissima mater » quod idem sonat ac noverca.

Post mortem patris 1494 aliqui filii Constantiae protestati sunt contra testamentum. Mater tunc non se revolvit ad Baptistam, sed ad alium filium. Scimus autem Baptistam tunc Mantuae non adfuisse et alium filium propter suum officium apud principem magis idoneum fuisse ad hoc negotium, de quo pluries religiosi et praesertim poëtae, minus intelligunt. Baptista tamen die 10 Nov. scripsit ad Principem, se excusans propter occupationes religiosas sed simul affirmans quod curam etiam haberet de fratribus *carnalibus*. In Opere: *De Fortuna Gonzagae* nominat Aegidium fratrem etiam *germanum* (Ed. 1576 III fol. 188). Et in fine Carminis ad Ptolomaeum: *De morte Federici Spagnoli* (t. I fol. 143, 1506 peste ablati) hunc etiam *germanum* appellat. Num forte Davari caecus

([1]) His argumentis iam fere usus est Lamonnoye (*Menagiana* I p. 273 ed. 1715) sed refutatur ab Ambrosio.

fuit? (Ed. 1513, II fol. 160: « germano in coelum laetare recepto »). Ioannes Brucherius Trecensis in amplo Commentario Carminis: *De Fortuna Francisci Gonzagae* (Ed. 1513 III fol. 135) expresse recenset filios Constantiae Brixiensis: Baptistam, Ptolomaeum, Aegidium et Federicum. (Davari mentionem etiam facit de Alexandro, Canonico, Roberto Lucano, qui fuit Legatus in diversis regionibus, Berardo, Caesare, Paulo, O. Pr., Anna et Margarita).

Propter haec tamen argumenta plurimi plus vel minus probabile tenent, Baptistam etiam fuisse illegitimum. Mirum autem est, quod nec Davari, qui quaestionem obiective tractare videtur, nec ullus alius attenderit ad verba « *materna propago* » (quae exprimunt clarius sensum, quam si dixisset: matrem meam vel nostram) in Mantuani Epithalamio, edito durante vita sua, saltem in editione 1513 cum commentario Badii, qui illa in tomo III fol. 193 explicat: « *propago i. e. progenies materna* » et in fine: « *proprium matris nomen Constantia praelata nuribus pudicis i. e. prima inter matronas pudicas* ». (Editio 1576, III fol. 299).

Davari nomen avi designat *Moduer* de Granata, dum verius est *Modover* (1) (de Corduba ut ipse poëta scribit), sed haec est quaestio accidentalis, cum sciamus illo tempore saepius in una eademque pagina diverso modo scripta nomina. Solutio igitur mihi decisiva videtur ex sequentibus versibus poëtae in Epithalamio fratris Ptolomaei; hac enim occasione talia scribere non potuit et publicare, nisi Constantia Maggi esset vere sua et Ptolomaei mater. Ista *Paula de Maze* Brixiensis potuit esse noverca uxoris Ptolomaei, aut fatua, vel alia ratione, v. gr. propter gratitudinem nominata mater ipsius. Pro Tiraboschi sufficiebant iam argumenta Floridi Ambrosio.

Postquam cantaverit laudes parentum uxoris, incipit referre gloriam fratris sui progeniei:

« Nunc Ptolomaee *tuae gentis* fastigia tangam
Atque meae. Genus est nobis commune duobus.
(*Hic 22 versus de avo Antonio, comite indiviso Regis Alphonsi*).
Bethycus hic fuerat, civis tibi Corduba, vatum
Corduba multorum mater celeberrima. Ab ipso
Petrus et a Petro venit Ptolomaeus et ampla
Nostra domus pollens numero fratrum atque sororum;

(1) Tiraboschi 1796, *St. d. lett. Ital.* III p. 871 ex inscriptione sepulcri in conventu, nunc in ecclesia S. Andreae.

Haec de patre satis, superest *materna propago,*
Clara opibus, clara ingeniis, clara ausibus altis.
Neve per ambages fluat insinuatio longas,
Brixia progeniem longo iam tempore Maiam
Novit et auspiciis eius feliciter aucta est
Publica res. Fuit ex Maiis, qui moenia quondam
Restituit tua, iam senio labentia longo,
Brixia, qui propriis argentea flumina duxit
Sumptibus et riguos misit per compita fontes.
Iste idem, meritis decus exposcentibus illud,
Venit ad imperium patriae, populoque volente,
Et Princeps et Pastor erat, nec iustius alter
Ante gubernavit, nec post sua tempora rector.
Nec res teste caret: veteri certissima famae
Magna fidem faciunt illam monumenta per urbem
Visa istis paulo ante oculis, quid tanta moramur?
Hic quoque maiorem patriae meditatus ad usum
Grande opus, exhausit vitrei vada lucida Clesis,
Atque novis fluvii partem decurrere ripis
Fecit, ut invictas saliens ferat alveus ornos,
Et sola currentes potent sitientia rivos.
Haec est Maia domus pollens propagine tanta,
Tot claris ornata viris, Constantia mater
Hinc, *Germane,* tibi nuribus praelata pudicis.
Hactenus ista super domuum paritate duarum ».

Ita valor opusculi Davari, quod Renier tam pretiosum iudicavit, fere totus evanuit. Critica post documentorum *accuratam* inspectionem *critice* tractari debet et prudentissime! Davari reprehendit scriptores qui documentis non utuntur; magis autem reprehensibiles sunt qui documenta non accurate perscrutantur. Gabotto haec Davari documenta quoad Ptolomaeum nominat « *irrefragabili* » (*Un poeta beat.* p. 5) et talia primo aspectu videntur.

Quaeri autem potest num etiam illegitimus invenisset uxorem talis conditionis, de qua hic tantum remittimus ad ultimum versum supra: *Super domuum paritate duarum,* sed poëta discurrit per 27 versus. Verum prosequamur.

Ordinis, Mariae specialiter consecrati, habitum Ferrariae 1464 induisse videtur, ut patet ex eius litteris ad patrem publicatis in

Mon. hist. Carm., p. 483 (1). Magistrum spiritualem hoc tempore vel postea (forsitan Mantuae in Novitiatu) habuit B. Bartholomaeum Fanti, devotissimum erga SS. Sacramentum (2). Studiorum causa Romam etiam missus est, ubi perpetuum Mecenatem habuit Falconem Sinibaldum Romanae Urbis Patritium, Curiaeque Apostolicae Protonotarium. In Capitulo Generali Ordinis, Astae 1472, iam Baccalaureus extraordinarie in Conventu Bononiae pro anno sequenti ordinatus est. Die 24 Aprilis 1475 ibidem Magisterii gradum est adeptus. Quotidie, ut ipse declarat (*De Patientia,* III, c. 13) concionabatur ad populum, verum et privatis consiliis, paternisque admonitionibus nemini, qui eius opera indigeret, non praesto adfuit, idque tanta seu maturitate iudicii, seu ingenii dexteritate ac comitate sermonis, ut dignus fuerit, qui a Casalensi Antistite Agnello Maffei, his Sidonii Apollinaris verbis commendatus sit: « abundat animi sale quum consulitur, melle quum consulit ». Per totam vitam sedulo etiam incubuit reformationi Ordinis et Ecclesiae (3).

Non mirum ideo est, quod plurimis officiis in Ordine suo perfunctus sit. Fuit Prior Mantuae et Romae S. Chrysogoni post ipsam eiusdem Coenobii acquisitionem 1486; primus extitit Custos O. N. Sacrosanctae Lauretanae Domus (1489), sexies pro biennio fuit electus Vicarius Generalis Congregationis suae, annis nempe 1483, 1489, 1495, 1501, 1507 et 1513 (4), ac demum Romae eodem anno 1513, licet absens, fere unanimi voto (duobus Polonis tantum exceptis) Prior Generalis totius Ordinis Carmelitarum (5). Ultimis

(1) Ex his litteris, sicut ex tota vita sua luculenter apparet, quod ab initio habebat spiritum vere religiosum et talem qui Sanctos producit.

(2) In Capitulo Generali Congregationis suae 1465 iam designatus est ad Orationem Capitulo sequenti habendam (*Vaghi*). Ita etiam celebris Pagnini 1758, licet tantum clericus professus et natus 1737, orationem habuit in Cap. Generali eiusdem Congregationis et in *Actis* additur: *Ciceroniana phrasi.*

(3) Die Omnium Sanctorum 1488 in Ecclesia S. Petri Romae, praesentibus Papa Innocentio VIII et Cardinalibus, vehementem Orationem habuit de reformatione ecclesiae, quae conservatur manuscripta in Bibliotheca Ferrariae (*Fondo Baruffaldi*, si non fallor, tom. 26, p. 174). Cfr. infra textum ex *Fastis* seu *Sacris diebus*: De SS. Leonibus, in Nota p. 14.

(4) Cum iuxta Constitutiones Congreg. Mantuanae Vic. Generales saltem per quatuor annos, postquam officio functi erant, non potuerint reëligi, patet Baptistam semper Vic. Generalem iterum constitutum quamprimum liceret.

(5) Ut talis interfuit etiam Concilio V Lateranensi.

vitae suae annis instituit plures Vicarios Generales, sed non videtur renuntiasse Officio, ut aliqui affirmant, quia a Summo Pontifice post eius obitum (20 Martii 1516) tantum nominatus est eius successor, nempe die 30 Martii et in illa Bulla mentio fit de illius morte. Tantam sanctitatis famam reliquit, ut brevi Beatus nominaretur. Corpus eius incorruptum adhuc conservatur in Cathedrali Mantuae, prout ipse vidi, cum corpore B. Bartholomaei Fanti eius Magistri. Cultus B. Baptistae a Leone XIII approbatus est 17 Dec. 1885, cuius occasione Episcopus Mantuae, postea Pius X, pulchram orationem habuit. Ipse Pius X 18 Martii 1909 confirmavit cultum B. Fanti.

A plurimis etiam durante vita, maximi aestimatus est. Ipse scribit in Epistola ad fratrem Ptolomaeum contra calumniatores: « Leguntur ubique libelli mei et videntur esse totius orbis iudicio approbati... fere enim in totum Christianismum pervenerunt, quocumque latina lingua est diffusa... Veniunt ad me crebro epistolae ex Galliis, ex Brittanniis, a Germania, ex Dacia, ab oceano usque Cimbrico, quibus intelligo opuscula mea illic esse in pretio, ab omnibus legi, ab omnibus laudari ». Verum etiam sibi conscius erat defectuum. Anno 1508 scripsit in eadem Epistola (Ed. 1576, t. IV, p. 80): « Edidi et ego vivens opera mea, ut vitia erudiam quae annotantur et quae excusari possunt, excusem vivens... feci quoque hoc eorsum, ut manum aliquando levarem de tabula; et ut his curis absolutus ad Theologiae studium, quo longe plus oblector, me conferrem. Ego namque Poëma omne carptim composui » etc. Alibi scribit, quod mox editurus est aliquos versus, quamvis sibi parum placeant (*Gabotto*, p. 17). Hoc amicorum desideriis convenire potuit, sed famae suae nocuit. Anno 1490 Baptista scripsit Pico (*Mon. hist. Carm.*, p. 494) suos libellos (i. a. *De Calamitatibus temporum* 1489 et forsan Parthenicen Marianam 1488 et iterum 1489) « fuisse ante tempus ablactatos et ante emendationem formatos et editos » ipso inscio et absente.

Celebris Ioannes Picus Mirandulae 9 Sept. 1490 illi scripsit: « Olim ad te non scripsi, Pater optime, sed interim legi quae scripsisti, divina scilicet atque sanctissima tua poëmata, in quibus ea rerum maiestas, is splendor est eloquentiae, ut certatim in illis palmam sibi vindicare verba et sententiae videantur. Hoc unum dixero, delectari me adeo lectione tuorum carminum, ut fere quotidie, cum me vel taedium vel fatigatio ceperit, in illa quasi in hortum deliciarum solitus sim secedere, unde animo tanta semper

oboritur voluptas, ut nihil cupiat magis, quam iterum fatigari, ut iterum recreetur ».

Elias Capreolus Brixianus Iurisconsultus 2 Dec. 1498 scribit: « Maronem nobis alterum haec aetas redivivum produxit, Baptistam hunc Mantuanum qui virtute poëtica synchronos omnes, ex antiquis etiam complures a se longe reliquit ».

Iafredus Carolus post annum 1510 de Mantuano notat Episcopo Parisiensi: « Cuius auctoris laus iam apud omnes tanta est, ut neque mea, neque alterius laudatione incrementum aliquod sit susceptura » etc.

Philippus Beroaldus: « Perlegi nuper divina divini Baptistae Carmelitae poëmata, quae evidenter ostendunt, parentem rerum naturam in progenerandis poëticis ingeniis haudquaquam decoxisse, Mantuamque nobis alterum Maronem ex palingenesia pythagorica reddidisse... Merito itaque vivens ea fruitur gloria, quam post cineres paucissimi consequuntur; eamque vivus sentit, quae post fata praestari magis solet, venerationem. Interest posteritati suae, monstraturque digito praetereuntium, nec solum habetur in manibus et ediscitur, *verum etiam in scholis enarratur,* (1) et inde saluberrima tyrunculis dictata Grammatistae praescribunt ».

Desiderius Erasmus Iacobo Wimphelingio 3 Febr. 1517: « Malim hemistichium Mantuani, quam tres Marullicas myriades ». (Hyperbolice sane dictum!). Alibi scripsit 1496: « et nisi me fallit augurium, erit, erit aliquando Baptista suo concive gloria, celebritateque non ita multo inferior, simul(ac) invidiam anni detraxerint ».

B. Petrus Canisius in opere quod *Marianum* appellavit, lib. 1, c. 13 in fine: « Quid vero si poëtam christianum, pium et disertum adsciscamus, qui hoc nobis caput absolvat, simulque suo carmine Mariae in templo studia et mores exponat? Is Baptista Mantuanus est, in hunc modum non minus vere quam eleganter canens », etc.

Shakespeare citat eius versum et eum laudat, dicens: « Mantuane bone! qui te non cognoscit, non te amat ».

(1) Mustard in opere citando plura testimonia vulgavit: i. a. discipulus scripsit patri: « hora 9 legimus poëmata Horatii, Ovidii etc.; post horam 10 legimus Mantuanum. » Murmellius 1507 canit:

Gloria Carmeli veteres Baptista poëtas
Gymnasiis pellens pulpita celsa tenet.

Egregium hoc opusculum tantum videre potui postquam mea Praefatio cum poëmate integro jam typis composita erat, alias multum utile fuisset. Commendo illud omnibus linguam Anglicam callentibus (pp. 156 in 8°).

In *Anthologia* ex Operibus Mantuani a Ioh. Weselio Cobergensi, Norimbergae 1571 edita :... « Scripta eius... etiam in Academiis Galliae et Italiae florentissimis publice enarrata sint. Serius aliquanto in Germania quoque coeperunt excudi et passim familiariter praelegi in Triviis et Gymnasiis celebratioribus. Quod an uni de veteribus poëtis, vel praestantissimis, latinis aut graecis contigerit, valde dubito, cum de Homero antiquitus sit scriptum : *Et sua riserunt secula Maeonidem* » ([1]).

Baronius Cardinalis in suis ad Martyrologium Romanum notationibus ad 20 Iulii et 13 Dec.: « Baptista Mantuanus Carmelita praeclarus poëta S. Margaritae Agonem heroico poëmate pulcherrimo decantavit... S. Luciae, sicut et SS. Virginum Apolloniae et Margaritae ».

Patria illi grata fuit. In arcu unius portae civitatis eius statua conspiciebatur ([2]), dextrum Virgilio, sinistrum Mantuano, clarissimi Mantuanorum Marchionis quarti Francisci latus claudente cum elogio: *Argumentum utrique ingens, si secla coissent* ([3]). Aliqui auctores appositum referunt angelum cum corona et inscriptione : *Cui dabo?* (Pia sed nimia sane exaggeratio !) ([4]).

([1]) Klette, *Beiträge* III, 20, refert etiam eius versus olim in Germania praescriptos fuisse in scholis ut exempla classica latina. Idem Keppler in *Kirchenlexicon* tom. I, ubi nominantur etiam eius Commentatores Badius Ascensius, Murrho et Sebastianus Brant. Primus praecipue ampla commentaria scripsit in omnia fere eius opera, quae edita sunt 1513. Murmellius, professor in *Alkmaar*, † 1517 in *Deventer*, pluries Eclogas edidit cum notis praesertim Badii.

([2]) Statuae collocatae fuerunt 1514, durante vita, quando fuit Generalis Ordinis et absens. Anno 1852 post destructionem arcus (prope ecclesiam S. Francisci) conservatae fuerunt et 1857 translatae in Musaeum Civitatis (Carlo d'Arco: *Delle arti e degli artefici di Mantova. Notizie... con disegni*. Mantova 1857). Musaeum *Berlini* habet statuam aeream. Cfr. W. Bode : *Die italienische Plastik* (Berlin 1891, p. 124) allegatum a *Giornale storico della letteratura Italiana*, tom. 20, 1892, p. 470. Plura habet circa poëtam in tomo 34 (1899), pp. 59-70, ubi tamen Petrum Nebularium de Mantua confundit cum Petro de Gavassetis a Novellaria. (Cf. Vaghi, p. 204 et 311). Existunt etiam antiqua numismata cum eius imagine, ex quibus Fr. Soldini unam reproduxit in principio operis sui 1783, in quo edidit *Parthenicen Marianam* et *Eclogas*.

([3]) Id est : Mantuanus cantavit tropaeum Francisci Gonzagae, sicut Virgilius Aeneae.

([4]) Prof. Ferd. Gabotto in *Ateneo Veneto* 1892, vol. I, scripsit articulum contra Beatum Poetam (pp. 17 in 8°). Mihi illum legenti statim occurrit idea Promotoris Fidei (alias dicti *Advocati diaboli*) qui ex officio

Baptista noster fuit etiam Legatus Leonis X pro componenda pace inter Franciscum Francorum regem et Ducem Mediolani atque Helvetios, ut patet ex litteris Pontificis 13 Iulii 1515 ad poëtam (1)

---

obiectiones facit in Causis Sanctorum. Revera omnia praecipua argumenta eius contra vitam et opera B. Mantuani eadem sunt, quae proposuit 1885 in *Actis Processus Beatificationis* Promotor Fidei et quae solvit plenariam ad satisfactionem Cardinalium S. Congr. Rituum Advocatus Lauretus Carboni in pp. 74 et 30 in folio. Cardinales sane melius de moralitate et doctrina iudicare possunt quam aliquis qui ideis anticlericalismi praeoccupatus videtur. Sed *Acta Beatificationis* ipsa consultari possunt. Plures obiectiones Ferd. Gabotto non videntur seriae, quia illas Professore indignas iudico. Aliquoties etiam auctores allegatos non attente legit et ideo erravit. In principio sui articuli tamen scribit: *Battista Mantovano tiene un posto cospicuo nella storia letteraria del Rinascimento per l' arte delle sue poesie latine* etc. Cf. *Analecta Bollandiana* XIV, 230.

Si quis alia iudicia contra Baptistae poëmata quaerit, adeat Baillet: *Jugements des Savants sur les Poètes Modernes*. Ibi inveniet auctorem Iansenismi fautorem, sed obiectiones iam solide et plene solvit P. Floridus Ambrosio in opere citato p. 185-193.

(1) In lib. 4 Fastorum: *De SS. Leonibus* Papae Leoni X, cui erat valde acceptus et opus dedicavit, libere tria commendavit: pacem Italiae, reformationem Curiae Romanae et bellum contra Turcas:

« Magna gerendarum superest tibi copia rerum,
Sancte Pater, rem magnam animo complectere grandi.
Sed tria praesertim restant cura atque labore
Digna tuo, bellum est primum, quo fessa laborat
Italia, et pleni humano iam sanguine campi.
Est aliud, Romana gravi maculata veneno
Curia, quae spargit terras contagia in omnes.
Postremum est oppressa fides exposta rapinis
Undique et in praedam populis proiecta cruentis
Ista tuis, animose Leo, servata diebus
A te subsidium magnis clamoribus orant.
Sancte Pater succurre Leo, respublica Christi
Labitur, aegrotatque fides iam proxima morti.
Si potes, ex nostris bella haec crudelia regnis
Transfer in adversos divinis legibus hostes ».

In hoc ipso opere, imo ipsa die 25 Decembris adhuc mythologiam immiscuit; sed generatim ea moderate utitur. Nos etiam dies hebdomadae et stellas nominibus ab ea desumptis indicamus, ut dicit in principio huius Poëmatis. Post natum Salvatorem, ut in principio fecerat, omnes antiquos deos et deas iterum dimittit. Existit tamen hic defectus, licet minor quam apud alios sui temporis v. gr. Sannazzaro; sicut etiam alius defectus quod saepius comparationes, allegoriae etc. nimis protractae sunt

Bibliotheca Carmelitana mentionem facit de 70 Operibus Mantuani, quorum 57 lucem viderunt. In tribus prioribus tomis eius Operum ed. 1576 plus quam quinquaginta quinque millia versuum continentur ([1]). Hoc satis explicat defectus!

Inter principaliora opera numerantur Libri tres *De Calamitatibus Temporum* impressi *saltem* Bononiae 1489, Venetiis 1499, Parisiis 1499, 1506 et 1513 cum Commentario amplo Iudoci Badii Ascensii etc., Daventriae in Hollandia 1492, Bononiae 1502, Antverpiae 1576. Praeterea septem Parthenicae scil. 1° Marianae, 2° B. Catharinae agon, 3° B. Margaritae agon, 4° B. Agathae agon, 5° B. Luciae agon, 6° B. Apolloniae agon, 7° B. Caeciliae agon. — Alii *Trophaeum Francisci Gonzagae* ([2]) ut praestantissimum eius poëma exhibent,

---

Cf. Pastor *Storia d. Papi*, IV, ubi eum nominat : *una figura molto degna di nota.* In *Apologeticon* (t. I, ed. 1576) ipse Poëta defendit usum Mythologiae : antiquiores quidem poëtae Christiani huius usum omiserunt, sed post verae fidei victoriam et daemonum fugam, ea sine periculo uti possumus et sic paganae artis ornamenta ut trophaea uni Deo offerre. Cf. A. Gaspary *Geschichte der Ital. Lit.* 1888 P. II, p. 401, ubi dicit : « Pro poësi religiosa epica ea necessaria videbatur... Mantuanus eam excessive praesertim in Parthenicis adhibebat ».

Quoad operam in componenda pace, nihil invenimus nisi sequentem annotationem in Bibl. Vaticana *Urbin.* 1512 fol. 40.

« Breve Leonis ad R.dum Mag. Baptistam Ordinis Carmelitarum Generalem pro componenda pace inter Franciscum Francorum Regem et Ducem Mediolani atque Helvetios. Fuit datum sub annulo piscatoris die 13 Iulii 1515 Pontificatus anno tertio.

Responsio Mag. Baptistae ad Summum Pontificem sub die ultima Iulii 1515 Mantuae.

Exhortatio ad pacificandum cum duce Mediolani sub eadem die ultima ».

Breve ipsum non vidimus, sed pax composita est die 15 Octobris 1515.

([1]) Sannazaro, qui 1458-1530 Neapoli vixit, forsitan maiori nunc in Italia fama poëtae latini gaudet, licet poëma suum principale *De Partu Virginis* tantum circiter 1500 versibus constet et 20 annos eidem expoliendo insudaverit. Vida, natus 1490 † 1566, Canonicus Regularis, dein Episcopus, vere etiam poëta est et fama nunc certe praevalet B. Baptistae ; non autem edidit plus quam 15,000 versuum. Credimus autem 20,000 versuum Mantuani inveniri, qui hisce saltem aequivalent, licet materia, de qua ille tractat v. gr. *Scacchia ludus* et *Bombycum* libri II, plures magis alliciat. Poëta noster certe pluris aestimatus esset, si tantum versus perfectiores edidisset.

([2]) « Baptista noster... nulli poëtarum in *Trophaeo Gonzagae* posthabendus videtur ; tam sunt in eo ingeniose excogitata, astute ficta et sonore dicta omnia, multaeque similitudines et digressiones aptissime in-

alii Eclogas (1). Multum in hoc videtur influere indoles nationum et personarum.

Accuratior et magis completa editio Operum est Antverpiae 1576 in quatuor tomis in 8°, de qua paucae tantum copiae ex incendio salvatae sunt. (Daumio in litteris publicatis a Gluchio, pagina 143). Ex his aliquae in principio 1[1] tomi continent septem eius psalmos, Bononiae tempore pestis 1482 editos, et in illis exemplaribus titulus ac index iterum impressi sunt. In editione Operum in 8° Lugduni 1516, immediate post mortem, sed antea incepta, deficiunt omnia praecipua opera supradicta et etiam *Sylvarum Libri* etc. Hoc inde provenire potest quod Editor P. Ioh. Steph. de Basignana, qui erat Vicarius Generalis Galliae, post mortem Baptistae in Italiam rediit et duos tantum tomos absolvit; vel melius ita explicatur, quod voluerit tantum publicare Opera Mantuani nondum impressa, vel ultimis annis composita, quae minus valent. In nostro exemplari adsunt septem partes, in aliis pauciores vel etiam una tantum. Folia non sunt numerata.

Omnia Opera meliora habentur vero in Editione pulchra Bononiae 1502 in folio et cum Commentario amplo in Editione Parisiorum 1513 (2) (Vol. III in folio) quae rarissima est et Romae

---

spersae tam utiles quam dulces, ut omnibus propterea artis componendorum versuum studiosis praelegendus rectissime iudicetur ». (*Fr. Laurentius Cupaerus* in *Ep. Dedicatoria* ed. 1576). Soldini *Parthenicen Marianam* omnibus aliis praefert. Hanc etiam edidit Lugduni 1522 cum commentario Badii Andreas Vaurentinus Serranus et descriptionibus suis. Adiunxit etiam *Apologeticon* poëtae, quod habetur quoque in ed. 1513. Mustard refert ed. 1481.

(1) Eclogae longe pluries impressae sunt (Cf. etiam Burckhardt: *Civiltà di Rinascimento*) et hoc saeculo adhuc in America septentrionali cum notis a W. P. Mustard, professore universitatis (Baltimore, The J. Hopkins Press 1911). Etiam libri XII *Fastorum* pluries sunt editi, licet, aliquibus partibus exceptis, tantum valorem poëticum non habeant. In S. Catharinae Agon Petrus Lucius 1591 etiam commentarium edidit.

(2) Trombelli, Can. Reg., qui 1736 in versus Italicos traduxit centum fabulas Gabrielis Faerno (Aesopi) † 1561, loquitur etiam de plurimis fabulis Mantuani. En eius verba et fabulam, quam edidit illo anno Venetiis (fontem non assignat, nec nos unquam de his mentionem invenimus):

« *Interpres lectori.*

Elegantissimis Faerni fabulis aliam a Baptista Mantuano compositam adiunxi, quam unam ex plurimis, quae se mihi obtulerunt, selegi: quippe aut Faerni fabulas puritate et nitore exaequat, aut certe non multo intervallo ab iis distat: inventione vero forte non paucas Faerni fabulas antecellit.

tantum in Bibl. Angelica. Editio 1502 multos errores continet ac aliae 1513 et 1576 mendis non carent; secuti sumus meliorem lectionem. In diversis Anthologiis poëtarum latinorum circa 15 paginae desum-

---

Fabula Baptistae Mantuani
Rusticus, Malus translata et Herus

Rusticus ex malo dulcissima poma legebat,
Unde dare urbano dona solebat hero.
Ast herus illectus frugum dulcedine, malum
Transtulit in laribus proxima rura suis.
At quia malus erat senior, translata repente
Aruit et proles cum genitrice obiit.
Heu male transfertur senio quum induruit arbor,
Inquit herus: fuerat carpere poma satis.
Qui nimium sapiunt atque inconcessa sequuntur,
Desipiunt; cohibet qui sua vota, sapit ».

Pluries dubitavi, an forse illae fabulae exaratae fuissent a Baptista Fiera (Fera) Mantuano, nato 1469 † 1538, medico et amico nostri Baptistae, cuius opera aliquando dicuntur edita sub nomine: *Ioannis Baptistae Mantuani opera.* Vidi opera impressa 1515 et 1537 *Baptistae Fiaerae Mantuani,* sed nullam fabulam inveni. Pluries vocatur etiam *Iohannes Baptista.* De alio Iohanne Baptista Mantuano habentur litterae in Bibl. Vaticana *Barb.* 1822, folio 116. Fuit Philophysicus Patavinus. Ibi adnotatur annus 1519.

Alia quoque poëmata Mantuani in diversas linguas traducta sunt, praesertim Eclogae.

Graesse, *Trésor de livres rares et précieux,* Dresde, 1863 t. IV, sub verbo: *Mantuanus* habet sequentes traductiones: 1. Emszer, *Wider die anfechtung des todes*, Leipzich, 1517. 2. Turberville, *Eglogs*, turned into English verse, London, 1567. 3. *Bucolics*, transl, by T. Harvey, London, 1656. 4. *The lives* of St. Margaret, St. Katherine, St. Ethelreda, St. George, etc. transl. by Al Barclay, London. 5. Treatise shewing that Death in not to be feared, transl. by John Bale, London. 6. La *Parthenice Mariana...* en français (par Jacques de Molieres) Lyon, 1523. 7. Les *Bucoliques...* en ryme françoyse par Michel d'Amboyse. Paris, 1530. 8. Les *Eglogues...* en vers françois par Laur. de la Gravière. Lyon, 1568 (alia editio 1554). 9. La fontaine d'honneur et de vertu... en françois par Fr. le Breton. Lyon, 1555 (alia ed. 1544). 10. *Elégie* contre les poëtes lascifs en vers français par Nic. Bonyer, Paris 1562. *Bibliotheca Carmelitana* refert quoque traductionem hispanicam factam a Ioh. Fern. de Ledesina de *Parthenice Mariana,* Vallisoleti, 1627; et eiusdem operis traductionem gallicam exaratam a Nicolao Dadier, Rhedonis, 1613.

Graesse praeterea refert alias editiones omnium operum praecipuorum impressas: in fol. saeculi XV sine loco et anno, folia 379; et aliam Coloniae 1500 in 4°. Opera poëtica selecta Coloniae 1565, 1688 in 8°. Parthenice secunda 1489. Contra poëtas impudice loquentes 1489. In Robertum Severinatem Carmen 1489. Parthenice Mariana et secunda, etc. Venetiis, 1499, Parthenice Ma-

ptae sunt a Mantuano, sed non etiam versus meliores. Quod si huic adiunxeris editionem paenultimam 1516 non continere opera praecipua atque ultimam (1576) fere totam periisse, magna ex parte eius famae diminutionem explicare poteris. De plurimis aliis editionibus ab Auctoribus memoratis non vidimus exemplaria.

Immerito certe Humanista noster nimis postea oblivioni traditus est. Suo tempore fuit plus aequo quidem celebratus, nunc autem nimium neglectus. Verius de eo scripsit Balthassar Bonifacii, doctus Episcopus de *Capo d'Istria* † 1659: Mantuanus « patria Maronis haud indignus et inter Myncii Cygnos numerandus, Ovidio (1) quam Virgilio propior, licet ab utroque longo intervallo distans, venae, etsi non usquequaque purae, uberrimae tamen, miraeque felicitatis et facilitatis in rebus explicandis ».

Utinam debilis noster conatus aliquid contribuat ad condignam aestimationem et v. gr. unum e nostris incitet ad eligendam poësin Mantuani pro solemni thesi doctorali in aliqua universitate et continuandum illud studium.

Fr. GABRIEL WESSELS.

---

riana, Daventriae, 1492, eadem 1497, eadem 1498. Parthenice secunda Daventriae 1497, Swollae 1497. Ad Lud. Fuscararium, Daventriae circa 1491 et 1498, etc. Alia opera Daventriae 1500. De Patientia, Daventriae 1498. Alia opera Daventriae 1497. De Calamitatibus temporum, Daventriae 1495. Parthenice 1518 Argentorati. Alia opera Parisiis 1494, Basileae 1490. alia sine loco et anno, alia 1494. De vita beata 1474 Alosti, alia opera 1510. Novem opera Parisiis 1507. De Calamitatibus, etc. Kreuznach, 1494. Bucolica Pictaviis 1498, etc. etc.

Libri XII. *De sacris diebus* editi sunt etiam in Strassburg (Argentorati) 1520, et Libri III *Parthenices Marianae* cum 4 aliis Mantuani parvis Poëmatibus in honorem B. M. V. quoque Neapoli 1854 in opere: *Laudi Mariane* a Fr. Martello.

Prima editio operum praecipuorum a Graesse relata (p. 17 infra) videtur eadem esse ac editio Bononiae 1502 (p. 16). Deficit tantum in fine. *Ad Falconem libellus in epigrammatis lib. I.* In illa titulus videtur iterum impressus, sicut adnotavimus de ed. 1576 p. 16. In ed. 1513 etiam tituli diversi existunt: aliqua ex. habent insiquia D[i] Roce, alia D[i] Petit et venundantur apud eosdem partim quoque.

(1) Ita etiam P. Laurentius Cupaerus O. C. in Epistola Dedicatoria editionis 1576.

LIBER PRIMUS (1)

Cogimur istius mala tempestatis et alto
Egressas Erebo furias, turpique fugatam
Virtutem exilio et varias percurrere clades,
Ob scelera immissas terris, artemque docere
Quae premat aetherei flagrantem principis iram.

(Deum invocat) (2).

Summe Deûm, decimus regnum cui terminat orbis,
Cui rerum natura subest, cui militat ardens
Astrorum, coelique iubar, qui solus habenas
Fortunae, fatique tenes; sua victus Apollo
Postibus arma tuis offert, plectrumque, lyramque;
Quicquid habet Delos, quicquid Cadmeia Dirce,
Quicquid inest Delphis tibi dat, Cynthumque, Rhodonque
Omnis odoratae servit tibi gloria Daphnes;
Est tuus Eurotas, Helicon tuus; ardua Cyrrhae
Saxa tenes, tua nunc hederis, tymbraque virenti
Ornantur delubra, tui per pinguia pascunt
Phocidis arva greges et dulcia flumina potant.
Dii veteres fugere, novis altaria lucent
Ignibus et nobis tua numina sola supersunt.
At quoniam pulso solus potes omnia Phoebo,
Huc ades et fragilem duc ad tua littora cymbam.

Calamitatum enumeratio.

Postquam sollicitae stimulos et plurima vitae
Taedia perpessi iuvenile peregimus aevum,
Otia et antiqui finem sperare laboris
Fas erat, et fessae post longa pericula puppi
Littoris et mitem portus optare recessum.
Sed Pater utilibus qui temperat omnia curis,
Robur et assidua vires firmare palaestra
Cogitat, et nobis quibus aetheris annuit arcem,

(1) Hoc poëma ab Auctore directum fuit ad Rev. in Christo Patrem ac Dominum D. Oliverium Carafam, Sabinen. Episcopum et Cardinalem Neapolitanum.

(2) Argumentum intra parentheses, quoties occurrit, a me additum est.

Desidiam, somnumque negat, ne scilicet annis
Dulcibus et segni mens enervata quiete
Langueat et torpor lentos effeminet artus.
Torpor enim caeco vapor est e gurgite surgens
Somniferae Lethes, nubem qui intexit opacam
Sensibus humanis, fideique oblivia sanctae.
Securas igitur ne vincat inertia mentes,
Tempora continuis foecunda laboribus adsunt.
Ecce repentino surgunt horrentia motu
Praelia: terribilem quatiens Mars ferreus hastam
Armato rigidum lateri circumligat ensem.
Stat sonipes picto lumbos et pectora tergo
Cinctus et aeratae frontis splendore superbus,
Accincti gladiis pedites, quibus aerea fronti
Tegmina, praetentis vibrant umbonibus hastas,
Corytosque ligant humeris, villosa sagittae
Tergora et hirsutas rostrant hastilia vulpes,
Perque foros cursant nautae, stipantque Liburnas
Arma rates, clypeis circumpendentibus, altum
Tollit prora caput, rostratas ardua puppes
Pone trahit classis, suspensaque carbasa ventis
Crispat et accensi pugiles molimine magno
In teretes malos, silices et ferrea sursum
Tela vehunt, resonant funes, animosa iuventus
Aeratasque sudes et curvae cuspidis uncos
Aptat et ardenti comes it Bellona Gradivo.
Sicut in Actiaco grandi sub Leucade ponto
Littus ad Ambraciae, forti cum milite Caesar
Chaonio Phariam disiecit in aequore classem.
Seu quando Ioniis Vulcania fluctibus Aethna
Europae, Libyaeque Duces concurrere vidit.
Scilicet Ausoniis alacer quum Regulus ibat
Navibus, excelsi sulcans vada lata Pachyni
Et patriis contra bellans pro legibus Hanno
Saxa relinquebat fatis Lilybaea sinistris,
Bellandi cupidae coëunt in praelia gentes,
Depositisque vacant inculta ligonibus arva,
Undique surgentem spargit vaga fama tumultum.
Arma procul collisa sonant, clangore minaci
Martia ferventes accendunt classica pugnas.

(Senectutis descriptio et incommoda).

Quod si florentes istis in Syrtibus annos
Egimus et tanto iuvenes sudavimus aestu,
Quid non triste putas feret aerumnosa senectus?
Ipsa tremens artus, teretique innixa bacillo,
Hispida, macra, brevis, canis rugosa capillis,
Caligans oculis, curvato in pectora tergo
Iam properat, sequitur celeri mors pallida gressu.
Heu frustra faciles cursus, auramque secundam,
Frustra expectamus! Nos implacata Charybdis
Proiicit in Scyllam, Scyllae de vertice rauco
Nos rapiunt Syrtes, iterumque rotamur in hosdem
Aequoris insultus; scopuli, vada, pontus et undae;
Semper et adversis in funera currimus astris.
At nihil est aliud cultis Adamus in hortis
Quam primi sine fraude dies, quum libera nulli
Pectora moerores agitant, sincera voluptas,
Impolluta quies animi cum dulcibus annis
Primaevae fugiunt vitae, mox asper acutas
Gignit ager sentes et noxia semina profert.
Namque ubi laeta novae cessit lanuginis aetas,
Sollicitae subeunt curae, trepidique pavores,
Et labor insomnis, dubiique per omnia casus.

(Bella Italica).

Bella cient Italae gentes, nec barbarus hostis
Quaeritur insultans, nostris qui finibus instat.
Inter se certare parant et foedere rupto
Convertere rigens in mutua vulnera ferrum.
Quosque peregrini dominos concordia mundi
Fecit, in ambiguam regno de paupere litem
Compulit infaustae genitrix Discordia pugnae.
Haec urbes eadem vesania coepit Achaeas,
Quum Caput Aemathii proles animosa tyranni
Extulit, adversus celebres Lacedaemon Athenas
In Lacedaemonios ibat Thesaea propago,
Totaque subversis titubabat Graecia rebus:
Dumque favent regni cupido, dum foedera iungunt
Cum Duce foedifrago, dum sese copulat hosti
Alter in alterius damnum, commune coëgit
Ferre omnes fortuna iugum et parere tyranno.

Nec genus Ausonium (tanta caligat Erinne)
Italiae similem videt impendere ruinam.
Luce caret, nescitque diem, secumque tenebras
Crimen agit, noctemque animis inducit et umbram.
Propterea amisso sceleratae lumine mentes
Venturam non ante putant quam venerit iram.
Quodsi coniunctis in praelia viribus irent,
Hesperiae gentes, non obluctantibus astris,
Non prohibente Deo, sed opem, viresque ferente,
In vetus imperium, possessaque regna redirent,
Servirentque iterum Tusco lata aequora Tybri,
Sperchiusque Pado, nostris Erymanthus et Othrys
Collibus et Latium trepidaret barbarus ensem.
Praeda nec essemus toties, nec Thracius hostis
Per Phryges et Colchos, captaeque per Helladis oras
Duceret in celebres insignia nostra triumphos.

(Calamitates quae bella secutae sunt).

Civiles rixas et bella domestica nostri
Non reges tantum atque duces, sed milite mixto,
Dum Picena fugax populatur littora Turcus,
Arma sacerdotes, divorum altaria circum
Ferre preces soliti, tollunt, pacique repugnant.
Qua sonat angustum Scyllae latratibus aequor,
Quaque Syracusio circumdatur insula ponto,
Insula Cyclopum Libyae porrecta sub axem,
Fervet Martis opus, Calabros et Iapygis urbes
In pugnam Bellona vocat, rapiensque superbam
Aegida Gorgonios pectus circumligat angues,
Et qua nubiferi medio pro limite montes
Stant Itali, Gallique soli, novus arma tumultus
Cogit et indomito fulgentes aere catervas.
Causa mali caput Etruscae Florentia gentis,
Ausoniaeque decus, summi violare ministros
Ausa patris demens, sacrumque haurire cruorem.
Ipsa quoque indomiti genitrix Ferraria belli
Praeteritas auxit clades dum ferre recusat
Imperium, Venetoque negat parere leoni.
Adde quod aspectu Coeli vitiata maligno
Arva negant victum, pingues iactata per agros
Semina vel pereunt, vel inanes culmus aristas

Erigit et tristi messor ligat hordea fronte.
Si foecunda Ceres aut laeti viribus agri
Aut hominum studiis usquam fuit, invida grando
Pulsa per aëreos magno cum murmure tractus
Impellente Noto stravit, longosque labores
Perdidit et nimbis Cererem glacialibus hausit.
Et Padus ingentes volvens ex Alpibus undas
Insubrum, Venetumque domos penetravit et omnes
Aggeribus fractis agri vastavit honores,
Nec ripis tantum, sed et ipsis altior ibat
Arboribus, salicum per summa cacumina nautis
Cursus erat, fugit Protei pecus omne per agros,
Altaque montanae petierunt aequora nymphae.
Sicut cum bellis olim civilibus urbes
Arserunt Italae, cum Caesaris arma superbi
Invasere lares patrios, gentemque Latinam.
Mira canam et nostris fortasse nepotibus olim
Non factura fidem: Benaci sparsa per agros
Tanta locustarum nubes, ut pinguia passim
Pascua et exortas segetes, nemorumque decorem
Temporis exiguo tractu consumpserit omnem.
Nec poterat sumptis hominum solertia telis
Fatales arcere feras. Cava tympana latos
Implebant crepitu campos, nec territa tanto
Dira lues sonitu, herbarum radicibus imis
Morsibus haerebat: vicina per oppida postquam
Rumor iit, capere arma viri, concurrere turbae
Ad commune malum, tanquam novus Itala Cymber
Regna premat, tandem multo vix tanta labore
Illuvies longis vix est consumpta diebus.
Dura fames igitur tristes populata colonos
Saevit et exhaustis languescunt corpora venis:
Vulgus inops macie affectum, squallensque per urbes
Poscit opem frustra et sensim vitalia membra
Victa cadunt, siccasque premunt ieiunia fauces.
Nec patres natis, nec nati patribus adsunt:
Tanta per humanum genus inclementia regnat.
Non Libycae segetes, non pinguibus Appula campis
Horrea, non Phrygiis succurrunt Gargara sulcis.

(Pestilentiae descriptio).

Sed minus hinc damni, minor haec aerumna, dolorque
Mitior, infelixque minus fortuna sequetur.
Hic paucae sat erunt lacrymae, crudelior alter
Communem ingenti pariturus strage ruinam
Hostis adest, nostraeque rati gravis ingruit imber.
Qua Rhodani volvuntur aquae, qua frigida Rheni
Teutonicas fert unda rates, qua perluit agros
Insubres, Venetosque Padus, qua dives ab alto
Vertice subiectos speculatur Brixia campos,
Occultum pluit ex alta Deus arce venenum.
Et qua Tiresiae pulcherrima filia nymphas
Colligit humenti gremio, lateque recedens
Littus arundinibus cingit, viridique papyro,
Quaque patens longe fluctu sonat Adria vasto,
Ultrices mors atra manus exercet et altis
Tabe madens sparsam caedem componit acervis.
Qua fluit Etrusco surgens vetus Albula fonte
Romanasque invisit opes et regna Quirini,
Qua gelidis sonat Arnus aquis, qua magna, potensque
Imperat Aemylio vicina Bononia Rheno,
Imbelles, acresque viros, senium atque iuventam
Pallida mortifero pestis grassata veneno
Sternit humi, fundamque rotans e turribus altis
Ardentes papulas iaculatur et ulcera diris
Glandibus et penetrat flammantibus inguina telis.

(Prosequitur cetera Pestis mala).

Huic tumidum guttur virus levat, ille sub alis
Fata gerit, qua longa humerus se in brachia curvat.
Alterius patulas aures arsura parotis
Suscitat occultum longis sub crinibus ignem,
Attonitumque caput feriens, vitalia membra
Occupat atque vias mors una perambulat omnes,
Extollitque caput, qua cursum fatifer humor
Sistit et horriferum sensim durescit in orbem.
Id crudele genus necis, hoc immane, feroxque
Supplicium, haec stygio rabies egressa profundo,
Perque domos humiles, perque alta palatia regum
Saevit et occultis miseros ferit ictibus artus.
Ut quando incauti vitio pastoris ovile

Incustoditum nox intempesta recepit,
Si lupus hesternae patiens ieiunia lucis,
Sollicitusque fame, fuerit per limen apertum
Ad solas ingressus oves, non mitigat unum
Ingluviem funus, sed multa caede madescit,
In totum saevitque gregem, sic acre venenum
Insontes, sontesque modo prosternit eodem.
Iamque cadaveribus desunt loca iuncta sacratis
Aedibus, effossa passim tellure profanis
Conduntur tumulis, inhonoratisque feruntur
Funeribus, dictu horrendum, visuque tremendum,
Praeda feris inhumata iacent et tabe fluenti
Circumstans tetro locus incestatur odore:
Qua triplici conclusa Pado Ferraria longis
Cladibus atteritur dominorum, corpora passim
Pascuntur per rura canes, aquilaeque rapaces
Effodiunt duris hominum cava lumina rostris:
Intestina ferunt volucres et in arbore summa
Exta patrum suspensa diu videre nepotes.
Membra pater vix aegra trahens, dum frigida condit
Corpora natorum, clauso nondum ore sepulcri,
Labitur ipse super sua pignora. Crebra suorum
Sola domo vacua mater dum funera plorat,
Cum lacrymis animam tenues exhalat in auras.
Multi ante occasum vitae vicina scientes
Fata sibi, condique suas tellure volentes
Relliquias, fodere solum, glebisque subactis
Sacrato vivi se composuere sepulcro.

(*Belli incommoda*).

Rura silent, vacuaeque suis cultoribus urbes,
Iura fori clamosa tacent, per compita surgit
Gramen et extinctis non lucent ignibus arae,
Nec solitos cantus, nec odores templa Sabaeos
Accipiunt, squallentque domus, muta omnia moerent.
Qui superant cladi, Superûm quibus ira pepercit,
Coguntur miseri sua dulcia limina cives
Linquere et in mediis tentoria figere campis.
Sicut per Libycos solet armentarius agros
Ferre larem, secumque suos vectare penates.
Vidi ego per tacitos saltus et inhospita lustra

Mole sub exaesa silicis, curvoque sub antro
Monticolas habitare viros et gramine pasci.
O Superi, loca qui tuti secura tenetis,
Si, scelere offensi nostro, tam dira movetis
Praelia, sat veteres tam multo funere culpas,
Sat longo luimusque metu, iam parcite, saltem
Relliquias generis, semenque relinquite nostri.
Non animi tantum gentis cecidere Latinae
Cum Romana ferox circum capitolia Gallus
Barbaricis trepidam pulsans clamoribus arcem
Diceret, eversae frustra succurritis urbi
Romulidae, regni et vitae postrema dies haec.
Vel post Cannensis lacrymas et funera pugnae,
Quando Quirinales aquilas, fascesque superbos,
Ad Tyrias iam se laturum crederet arces
Hannibal, insultans victo iuveniliter hosti,
Et mox ex alto bellorum culmine pulsus
Languit, adversis fatis et Marte sinistro.
Non tanto tremuere metu praecordia Graiûm
Xerxis in adventu, monuit cum Delphica rupes
Non muro, non arce dari, sed nave salutem.
Non ita Moseae quondam miracula virgae
Horruit attonito Memphis turrita colono.
Ipse quoque in silvis et vallibus Apennini,
Exilem ducens tecto sub paupere vitam
Delitui, qua templa petit Romana viator.
Et qua Flaminios fugiens Claterna per agros
Ducit ab angustis undosum vallibus amnem,
Arce sub Ociami, nostris ubi dicta Camoenis,
Tecta Refrigerius sublimi in colle tenebat.
Non fuit ausa magis, nec clade nocentior ista,
Romuleam pestis longo quae funere plebem
Diripuit, quando veniens Epidaurius anguis
Ionios citra fluctus in regna Quirini
Abstulit aërium virus, qui postea templa
Iuncta Iovi tenuit, bifidum qua dividit amnem
Insula Ianiculum dirimens a collibus Urbis.

Communes Calamitatum Causae:
(*Pestilentiae ordo*).

Seu Superûm sic ira velit; seu noxius ardor
Aetheris, aërios infuso lumine tractus
Inficiat; seu sola ferant contagia morbum,
Seu dum longa fames hominum ieiuna coëgit
Ora cibis vesci indignis, escaque nocenti,
Impurus per membra fluens vitalia sanguis
Putruit et dirum subiens praecordia virus
Inferat occulto properatam vulnere mortem.
Unde malum surgat non est dignoscere promptum.
Ipse tamen reor has omnes concurrere causas
Et coniuratas percusso foedere Divûm,
Astrorum, terraeque simul concurrere vires,
Sicque hominum genus haud una obsidione teneri,
Et nobis elementa necem, Superosque minari.
Nec mirum; quando longe graviora meremur
Supplicia et longe asperiori verbere caedi.
Quippe ubi nec Superûm pietas, ubi nulla Tonantis
A scelere humanas prohibet reverentia mentes,
Et virtus vitio urgenti dare terga coacta est,
Ira Patris Divûm fremit indignata, furensque
Evocat ex altis Erebi fornacibus atram
Progeniem, horriferae genus implacabile mortis,
Et terras permittit agi Phlegetontis habenis,
Plutonisque premi imperio. De tristibus Orci
Sedibus egressa, aethereas nova monstra sub auras
Invadunt hominum coetus et inertia flatu
Pectora letifero feriunt, it frigida tabes
Ad vivum penetrans animos, perque intima corda,
Imbibitum virus, postquam concluserit omnes
Ad virtutem aditus, homines impellit et urget,
Quo Stygiae iussere canes, quo Ditis avari
Spiritus inclinat, primi qua criminis auctor
Monstrat iter latum, placidaque tyrannide regnat.

(*Vult describere vitia capitalia*).

Hic iuvat immanes Erebi monstrare figuras,
Tartareumque genus sub apertum ducere coeli
Lumen et occulti reserare latentia mundi
Monstra, venenoso pavit quae lacte Megaera,

Cerberiique canis spumis et sanguine Lernae.
Me, precor, assuetum mites errare per umbras
Grynei nemoris, vestrisque sonantia rura
Cantibus et gressus modo per fera monstra ferentem,
Intactum servate Deae, furiale per agmen
Este pio vati comites, moresque docete
Infandos Stygiae gentis, coelumque perosae.
Iam mugire solum coepit: iam nubibus aër
Pallet et infernis surgunt afflatibus umbrae,
Nigrescitque polus, monstris exterrita lampas
Fert retro Phoebaea gradus, auditur ab antris
Clamor et omnigenûm rabies confusa ferarum.

Monstrum primum: Superbia (et eius improbi mores).

Evolat horrisono rapidi Phlegetontis ab amne,
Ingenti alarum stridente Superbia ductu:
Sic illam dixere, super quia cetera sese
Tollit et extento socias superminet ore,
Omnia convolvens, caeca de sede Barathri
Crimina nigrantem post se trahit omnia pompam.
Huius ab ardenti virosus anhelitus ore
Fumat et obscuris oriens a faucibus humor
Defluit, hippomanes, aconita, canisque virentem
Taenarii spumam superans, omnemque veneni
Mortiferam rabiem, stygii faex ima profundi.
Se superum genus esse putat, veterumque deorum
Semen et a magno se iactat Apolline natam.
Ardua frons, unoque oculo stellata rotundi
Circuitus, medioque sedens in luminis orbe
Discessit, spatiis aequalibus undique centrum.
Hoc insigne patris, Phoebique ardentis imago,
Difficili vultu graditur, gestuque maligno
Innocuos, mitesque animos irridet et odit,
Quem videt aeternis illustrem laudibus altum
Per virtutis iter veri conscendere honoris
Culmen et ad superos niti, coeloque propinquum.
It gravis et raro incessu vestigia profert
Strimoniae de more gruis, quae semina campis
Iacta legens aequae tepido sub sidere librae:
Si vicina ferat gressum per rura viator
Tela ferens, arcumve manu, caput ardua tollens

Clangit et ingenti movet internodia passu.
Paulatimque viam suspenso gutture carpit.
Cum bellator equus domini fraenatus habenis
Ostentans pectus latum cervice sub alta,
Cum glomerat bibulo lentos in pulvere gressus,
Nunc hac, nunc illac oculos et colla retorquens
Spectari gaudet, Libycosque aequare leones
Viribus, Albanosve canes dum se putat, auras
Colligit et latis imitatur naribus Eurum :
Non secus haec rabies ventoso inflatior utre,
Cum graditur vibrans alternis motibus armos
Ardua sublatae circumfert lumina frontis,
Vanaque proceri miratur corporis umbram,
Et tacitis ardens curis sublimia semper
Mente agitat, tumidoque sedet sub corde venenum.
Contemptrix inopum, vultus elata severos,
Inflatoque rotans turgentia gutture verba,
Ferre nequit iuga, maiorem indignata, paremque,
Imperia usurpat, regnique libidine fervet.
Immansueta, ferox, miseris adversa, minaxque
Mitibus, elatis contraria, nescia pacis,
Nescia amicitiae, rixarum et litis origo,
Dura, ingrata, duplex animo, violenta, rebellis,
Improba, quid pietas, quid sit clementia, nescit.
Perfida, foedifragam dubio sub pectore mentem
Versat, ab excelso fugientia culmine semper
Saxa movet, laudum semper vesana libido
Sollicitum pectus curis flammantibus urget.
Nec vitae ratio, nec opum, nec honoris, in omne
Sponte scelus praeceps ruit implacabile monstrum.

(*Quae per Superbiam commissa sunt*).

Haec hominum suprema lues, immane, ferumque
Thraicio facinus potuit suadere tyranno,
Asper ut horrenda cumulans praesepia caede
Semineces artus hominum, fumantiaque exta
Intulerit stabulis et equis epulanda virorum
Corpora, quae infami hospitio, laribusque profanis
Occultus pacem simulans admiserat hostis.
O scelus, o dira invisae spectacula fraudis!
Luminibus torvis quoties capita alta levabant

Thraces equi grandes humano sanguine pasti
Et capita et teretes pendere extra ora lacertos,
Crurave confractis genibus, crinesve cruentos
Vidisses, sanie a mento per lata fluente
Pectora, sub gravibus contrita cadavera malis,
Fractaque sub duris crepitabant dentibus ossa,
Strimonius meminit Nestus, scit Bistonis unda.
Traxit Idumaei genus hinc vecordia regis
Quem magus ardentis coeli nova signa secutus
Admonuit venisse Deum. Nisi caeca superbi
Pectoris ambitio mentem fecisset opacam,
Isset ad infantis sancta incunabula Christi
Deposito fastu, sed mens, inflata favore
Caesareae gentis, longoque tyrannidis usu,
Est ingens meditata nefas, nec prisca parentum
Saecula par videre scelus, nec longa videbit
Posteritas, per rura furens Galilaea satelles
De trepidis matrum sinibus lactentia vulsit
Pignora, membratimque secans lata arva cruore
Imbuit innocuo, matres ululare per agros
Audivit montana Rachel, vicinaque fonte
Flumina de duplici ducentia nomen et undas.
Hinc est orta lues, quae Thracia regna, vetusque
Graecorum imperium vertit. Bizantia regum
Urbs opibus constructa, mari praetenta, duobus
Aegeo, Euxinoque fretis stipata sedebat
Sceptra tenens, parvo qua gurgite Bosphorus undam
Colligit, hanc Scythica irrumpens Othomanus ab arcto
Insidiis captam ferro violavit et igni.
Arx erat Europes et inexpugnabile quondam
Romanae fidei vallum Mahometica contra
Arma, minas Asiae frenans, Libyaeque tumultum.

(*Cetera Superbiae ausa*).

Haec scelerum dux atque parens sublime nitentis
Imperium caeli, summamque ambire Tonantis
Ausa potestatem, quantum tentavit in altum
Surgere, Taenarios tantum descendit ad amnes.
Cuius ob ingentem tellus concussa ruinam
Cessit, ut in latices cautem si miseris, altum
Pandit iter, molemque sinu capit unda capaci.

Sic percussa gravis monstri se pondere tellus
Dissecuit, gremiumque alto patefecit hiatu.
Sicut Adrastaeis cum vatem absorbuit agris
Campus et armato percussit tartara curru,
Seu quando inferni cava guttura Curtius antri
Clausit et Elysios tremefecit pondere campos,
Vel quando electae primo sub iudice gentis
Terra Choren, sociosque altam demersit in alvum.
Antra igitur grandi laterum sinuata recessu
Inter se ripis summo coëuntibus ore
More pilae quoties vento consurgit in orbem
In latos abeunt curvati fornicis arcus,
Fitque ingens domus umbrarum, praecepsque barathrum.
Illic sulphureos incendia nigra liquores
Lambunt et dubium quasi prima crepuscula lumen
Spargitur et tristi caligant tartara fumo.
Hic sunt lugentes, mortis domus impia, campi
Regnat ubi scelerum lacrymoso in carcere mater
Exercens poenis animas, claudique tenebris
Indignata fremit, clauso ceu nubila vento,
Cum piceas frangunt clamosa tonitrua nubes.

(*Quare Superbia dicitur nata magno Apolline*).

Haec est, quam veteres dicunt Phaëthonta poëtae
Aethereos docti cursus, causasque latentes
Ignibus aeternis, sol est qui corda superbis
Incendit stimulis, tumidosque in pectora fastus
Mittit et impatiens figit sub corde venenum.
Propterea ex alto labentem cardine fingunt
Audacem aurigam, fractisque per aëra loris
Solis equos caput Eridani mersisse sub undas.
Ad superos egit quoties pater arduus alto
Annuit a solio et latum imperiosa per orbem
Bacchatur, supraque suas temeraria vires
Audet et infausto amittit conamine vires :
Scilicet omne Deo contra nitente superbum
Evanescit opus, sicut cum surgit in auras
Eructantis aquae fluctus, mox vertice presso
Decidit et spumans alto demergitur amne,
Atque humiles inter sine nomine praeterit undas.
Hoc docet Allophylus, Solymae qui verbere fundae

Deposuit, frontisque minas, animique tumorem:
Ibat enim solo auxilio thoracis et hastae,
Non ope Divorum, non ullo numine fultus
In pugnam, parvumque minax Davida superbo
Nequicquam terrere sono conatus, in ensem
Dum surgit misso per ferrea tempora saxo
Corruit et toto diffusum iugere corpus
Mirati stupuere hostes, turpique dedere
Terga fugae, parvoque Gygas cadit ictus ab hoste.
Sic quoque delusus curru Iovis aemulus alto
Aerea convexi scandens curvamina pontis
Flammiferumque rotans Alphaea per oppida fulmen
Occidit et casu Eleam perterruit urbem.
Haec docuit Phlegyas genus execrabile caelum
Spernere, quos Tethys ultricibus abstulit undis.
Haec quoque Niliaco regi cum nescia roris
Terra diu solitas fruges, victumque negasset,
Sanguine persuasit placari numina fuso.
In superos eadem natos armavit Aloei,
Qui domitum gravibus Martem tenuere catenis.
Sit satis haec libasse: aliis memoranda supersunt
Plurima, maiori scelerum de principe cantu.
Audivi, gemuit tellus, turbatur averni
Ianitor, ecce niger nebulae globus exit opacae.
Iam turres, regumque domos abscondit et urbes,
Exhalatque gravem nox importuna Mephitim.
Ite procul mites animae quae dulcia pacis
Otia, quae superos, quae coeli quaeritis arcem:
Ne funestus odor, ne vos contagia laedant
Vipereae prolis, clausis abscondite valvis
Atria, progenies nigri dum praeterit Orcì.

Monstrum secundum: Invidia.

Livor edax tristi surgens Acherontis ab amne
Pallidus et moesto demissus lumina vultu
Obliquumque tuens rebus gaudere secundis
Nescius, aera virûm claris signata triumphis
Dente terens, tardoque movens vestigia passu,
Murmure nunc tenui, nunc fulmine vocis aperto
Percutit insontes, bona vultu aliena maligno
Ingemit aspiciens et felle gravatus amaro

Tabescit, quocumque iërit teterrimus oris
Spiritus agrorum virides interficit herbas.
Caetera nonnullis parcunt, certisque venena
Graminibus, magicaque solent mitescere lingua.
Pòntica magnanimum celebrant medicamina regem
Quae fatis obstare ferunt, his ille solebat
Virus et occultae insidias contemnere mortis.
Tangere caerulei squamas et colla draconis
Phasias ausa fuit, tantum Medeidis herbae
Virgineaeque preces poterant, Hecatesque liquores.
Marsus in Ausoniis Umbrorum vallibus inter
Serpentes impune cubat, Libyaeque per agros,
Qua steriles versant nigri Garamantes arenas,
Non metuunt Psilli colubros, non saeva neparum
Spicula, non hydri morsum, non aspidis horrent.
Haec fera lernaeo rabies maculata veneno
Omnia depascit, nullis innoxia, nullos
Praeterit illaesos, nulli mansuescit, in omnes
Invehitur, quod agit non est sanabile vulnus,
Non Amytaonii prodesse Melampodis ulla
Carmina, Thessalicis non lectae in montibus herbae
Phyllyridae manibus, non Coi sancta magistri
Pharmaca sufficiant, claraeve Machaonis artes,
Non genitor Stygiis lacerum qui traxit ab undis
Hippolytum, non Phoebus avus, cui prima medendi est
Gloria, lethali poterunt succurrere morbo.

(*Invidiae saeva facinora*).

Quem iuvat istius varias cognoscere fraudes
Et per aperta latens deprendere signa venenum,
Multiplices casus et longa pericula cernat
Fatidici iuvenis, qui dum praesaga parenti
Somnia narraret, fratrum livore sub altam
Actus humum Pharias tandem migravit ad arces.
Huius ut infectos genitor cognovit amictus
Et pueri tunicas mendaci caede rubentes,
Heu fera, clamavit, dulcem saevissima natum
Abstulit et luctu canos confecit amaro.
Aspice contorto Saulis convicia telo
Invidiaque satos inter convivia planctus,
Et Davida inopem comitum cum paupere turba

Ire per abruptos deserta cacumina montes,
Et certam nescire domum, regemque sub antro
Deprensum potuit sermo mitescere, si non
Intima tabificus vitiasset pectora livor.
Quid referam primos discordia semina fratres
Et scelus? et campos germana caede madentes?
Praetereo vatem, nigri quem spiritus Orci
Perculit et tristi clausit Babylonia circo.
Ipse diu ieiuna iacens ante ora ferarum
Atque famescentes animalia saeva leaenas
Indomitum fregit Superûm pietate furorem.
Praetereo pulsum patria reducemque Camillum,
Rapta Panomphaeo referentem signa Tonanti.
Quis furor ingratos, Dux praestantissime, cives
Scipio? quae fortuna tuam tulit aspera mentem?
Ut post eversas Tyriae Carthaginis arces
Partaque bellando Libycae cognomina gentis,
Cum tua consiliis esset melioribus aetas
Utilis et vires ad civica munera promptae,
Iura fori et cives et amatam liqueris urbem?
Non monuit pietas virides servata per annos
Publica privatis praeferre negotia rebus?
Causa mali livor, suffusaque lingua veneno
Tot clara invictae molita extinguere laudis
Facta, tot egregia partos virtute triumphos.
Qui rigidos enses, qui ferrea bella subegit
Exul ob invidiam patria migrare relicta
Cogitur et duros inter versatur agrestes.
Ad Cereris conversus opus, moresque parentum
Qui Pelusiacae servant cognomina lentis
Et quibus illustrem fecere legumina famam,
Triptolemi curavit, opes imitatus Osiris
Alcinoique senis studium, ceu postea magnus
Caesaris et sceptri posito splendore Diocles,
Hortorum didicit cultus, incidere vites
Atque piri secto malos infigere trunco,
Quo fit adoptatis lignum bis fertile ramis,
Humectare solum rivis, ferroque bicorni
Pectere luxuriem terrae, redolentia sulcis
Gramina virgineos induta rosaria vultus,

Lilia, narcissos, violas, flentes hyacinthos,
Purpureisque crocum foliis, mentamque, thymumque
Pangere et innocuis vitam traducere curis.

(*Cetera Invidiae facinora*).

Unde viro forti damnum parat, inde salutem
Gignit et ipse suo cadit ictus vulnere livor.
Pluribus excelsa vel opum vel honoris ab arce
Profuit ad modicae sortis cecidisse quietem :
Sicut enim quando rutilat, noctemque rubenti
Ore fugat carbo in cineres, atramque favillam
Solvitur, extinctis si cesserit ignibus ardor,
Saecula nulla timet, sic mens humana superbo
Tabescit fastu, rebusque elata secundis
Torpet, at exsecto viret, evigilatque tumore.
Incoeptum repetamus iter, miremur averni
Militiam, famis et morbi, pugnaeque parentem.
Zoilus his actus stimulis, hoc percitus oestro
Inachis et quondam populos cum venit ad hosdem
Divinum audaci dum carperet ore poëtam,
Seu Smyrnae seu Maeonii Colophonis alumnum
Regis ad imperium pino suspensus ab alta
Tristia Niliacae fecit spectacula plebi.
Sic pereat quicumque pios auferre labores
Nititur et sacro vatum non parcit honori.
Cetera dicturum super his crudelis imago
Terruit immanis monstri venientis ad auras
Impete cum magno, fusis per terga colubris
Circum equitant dominam furiae, manibusque flagella,
Vincula, flammivomasque faces et sanguine tincta
Tela ferunt, vehitur plaustro stridente supellex
Martia, loricae, clypei, galeaeque micantes,
Conorumque iubae, strepitusque auditur equorum
Et procul hinnitu campus sonat omnis acuto.

Monstrum tertium : Ira.

Ira minax, odiique parens, Mavortis alumna
Secum agit indomitum Stygia de sede furorem
Stentorea qui voce tonat, qui gutture lato
Fulminat et rauco resonans clamore fugacem
Pantagiam superat, mugire tonitrua dicas.
Horrificaque fremens aeratas voce cohortes

In rigidos enses, alternaque vulnera mittit.
Sanguinolenta gravi vibrans hastilia ferro
Bella ciens, rixasque movens, hostemque lacessens,
Labra, manusque tremit, scintillant lumina torvis
Fulta superciliis, strepit et convitia iactans
Bacchatur: si forte aliquo nequit obice poenas
Sumere, vindictas in idonea tempora differt,
Fitque odium, quod longa fovens incendia pectus
Urit et accensis lambit praecordia flammis.
Nil pensi, nil mentis habet, cito mobilis, expers
Consilii, volat in pugnam, retinacula rumpit.
Lege, modoque carens, rabido stimulata colore
Non ignes, non arma timet, flammantia tantos
Pectora concipiunt accensi sanguinis aestus.

(*Irae effectus*).

Quo ferat immanis furor et gravis impetus irae,
Fabula Thestiadae priscis monet eruta chartis.
Cum ferus Oenides aprum Calydonia rura
Vastantem premeret procerum socialibus armis,
Auxiliisque canum, spumanti concitus ira,
Fulmineoque fremens Aetola per agmina dente
Irrumpebat aper, non illum densa virorum
Turma nec hinnitus celerum tremefecit equorum.
Strenuus arrectis hirsuto tergore setis
Flammiferis oculis sylvas et retia rumpens,
Qua furor urgebat rapido per spicula cursu
Perque canum rictus, venabulaque ipsa ruebat.
Non secus haec rabies ardenti percita bile
Luminibus coecis per aperta pericula fertur.
Felsineos toties cives in dira coëgit
Excidia et furiis trepidam involventibus urbem
In ferrum ruere atque securibus ardua tecta
Detrahere et patrios flammis violare penates
Compulit, antiquosque patrum delere labores.
Sed postquam domitis scelerum cervicibus auctor
Occidit et rutilos Serrae concordia dentes
Signa tulit primis populus cum patribus alte
Defixis urbana quies radicibus haesit
Atque gradu semper mansit respublica firmo.

(Alia Irae immania facinora)

Haec eadem rabidum convulso pectore Syllam
Ora cruentatum furibunda, animamque vomentem
Sacrilegam celeri rapuit sub tartara fato.
Viscera natorum manibus lanianda paternis
Praebuit Alcides, cum lusus imagine falsa
Sanguine foedavit laeta, dulcique furentem
Pace domum; fuit ira virum, quae lusit imago.
Ira draconigenas acies, Cadmique nepotes,
Fraternasque manus alterna caede rubentes
Implicuit longis bellorum ambagibus, ira
Diruit excelsas urbes atque inclyta quondam
Oppida, regalesque domos evertit abactis
Civibus, aërias turres deiecit et arcus
Clara triumphales veterum monumenta laborum.
His accensa focis Italos pulcherrima regna
Et magni specimen mundi vexare coacta est
Barbara saevities et inhumani fera vulgi
Colluvies: Roma indicio est, Syllanaque Tuscis
Urbs divisa vadis, necnon regina, caputque
Etruscae quondam modo sola Bononia gentis,
Et vetus aprico recubans in culmine Derton,
Cuius adhuc extant vacuis vestigia campis,
Semirutae moles lapidum, fractaeque columnae.
Vincula, singultus, lacrymas, suspiria, planctus,
Pallorem, vigilesque metus, tormenta, crucesque,
Verbera, pestifero rorantia tela veneno
Protulit atque feris hominum crudelibus artus
Obiectans, variis implevit cladibus orbem.
Hinc multa exilio gentes aliena sequutae
Regna, suis orbae patriis, sic filia quondam
Tiresiae, gemini Manto post dura Creontis
Servitia in Venetis molita paludibus urbem
Vixit et extructae sua nomina tradidit arci.
Laomedontiaden Teucrum Salamina petentem
Expulit ira patris. Quid te Neiphylas Helle?
Quid profugum memorem Phrixum, saevumque Athamanta?
Atque novercales furias, odiumque, minasque?
Adde Mycenaeum poenas et funera regem
Matri intentantem, moestasque Agamemnonis aedes:

Atque Sophocleo celebratos carmine planctus.
Adde Phryges geminos, Anthenora, fluctivagumque
Aenaeam, ignotum decorantes moenibus orbem.
Hos, aliosque irae patriis a finibus actos
Longa per exilia et casus misere sinistros.
Hac rabie succensa feram Priameia coniux
Induit et duplici creverunt aggere dentes,
Longaque sub geminis surgentia naribus ora,
Succensi mansere oculi et truculenta minaci
Fronte supercilia et latrans in pectore virus.
Quid memorem saevae furias, odiumque parentis
Quae miseros nati flammis fatalibus artus
Ulta necem fratrum et matrem se oblita cremavit?
Vix ea finieram, cum formidabilis irae
Castra sequens aderat Stygiis nova bellua signis
Ingenti comitata manu, mendacia tectis
Vultibus et trepidae dubia sub imagine fraudes,
Ignotisque doli sub vestibus agmen agebant,
In medio stipata gravi regina tumultu
Tollebat nigra umbrosam fuligine frontem.

Quartum monstrum: Philargyria (*Avaritia*)

Auri sacra fames haec est, rerumque cupido
Improba, divitias amor infinitus habendi.
Haec nummi sitis ardescens immensa vorago
Tartareis emissa vadis, imitata rapaces
Unguibus Harpyias, armataque grandibus ora
Dentibus in gyrum quales, quantosque Elephanti
Aethiopes, Indive ferunt, sinuatur in orbes,
Et nodos, in se rediens coma densa figurat,
Tempora nec velat, sed agit suspensa tumorem
Undique surgentem, nudaque recedit ab aure.
Nec solum vigiles obeunt hirsuta rotundo
Tempora circuitu, verum sub vertice cano
In cervice micant oculi ceu florea serta.
Effigies veteri, vultusque simillimus Argo,
Sed magis introrsum scrobibus subducta cavatis
Lumina discedunt, setosaque prominet atri
Silva supercilii, macies, squalorque per omne
Corpus, iners dicas monstrum et vix ossibus haerens,
Sed geminis, quoties opus est, ita nititur alis,

Ut credas ferri Boream, Zephyrumve per auras,
Praecipitemve Notum, lucri si nuntia fama
Surgat et acceptus nares odor imbuat auri
Elevat ingentes alas et lumine fixo
Visa petens, quicquid falcatis unguibus aufert,
Stulta suos numquam venturum servat in usus.
Sacra Deum, sanctas leges, praeclaraque gesta,
Scriptores rerum egregios, celebresques poëtas,
Qui procerum laudes chartis et nomina mandant
Et quidquid non auget opes aversa repellit.
Sola iuvant quae lucra ferunt, sint caetera quamquam
Laudibus et pretio dignissima, caetera sordent,
Sicut Hyperboreis rutilans in vallibus aurum
Gryphes amant, avidique tenent, vigilesque tuentur,
Unde nec utilitas operae, pretiumve laboris,
Sed metus et clades oritur, sic pectus anhelum
Pervigilis monstri, graviore cupidinis aestu
Fervet, opes cumulans quas olim prodigus haeres
Dissipet et pingues ferat in convivia mensas.
Palla sinu lato ex humeris decurrit in imos
Lapsa pedes, manicae velant extrema capaces
Brachia, quas ubi vult curvos demittit in ungues.
Utitur his quoties opus est, vel fingere mores,
Vel gestu simulare fidem, vel fallere quenquam
Seu furtum celare; manus levis, apta rapinae,
Perfida mens, nullisque potens mansuescere dictis,
Indignas, dignasque preces surda accipit aure,
Ut proiecta bovis detracto grandia tergo
Viscera percipiens oculis, vel nare sagaci
Vultur edax, avido corvusque famelicus ore
Convolat ad resoluta a gravi convivia tabe,
Sic ad opes, aurumque cito sitis ista volatu
Fertur et ad nudum spolians fragmenta, brevesque
Reliquias studiosa legit, gremioque recondit.

(*Reliqua Avaritiae insatiabilitas*)

Nec contenta bonis, Divûm quae munere tellus
Protulit, in partem scelerum vocat astra, Deosque,
Exercetque preces, magicas et consulit aras,
Infernosque vocans manes altaria circum
Nocturnas adhibet vestes, tetroque vapore

Orgia perlustrat, ducensque in pulvere circum
Murmurat et variis distinguit signa figuris.
Extaque Tyrrheno risu scrutata requirit
Thesauros, quae terra tegit liventia plumbi
Pondera et argenti globulos viventis et aera
Artifici mendax vertit medicamine in aurum.
Falsaque cum veris iungens, cum Doride Bacchum:
Cum gemmis fragiles hyalos, cum Palladis imbre
Miscet Aristaei succos et cerea mella.
Mentitisque novas, fuco errorem faciente,
Confectis senio deludit mercibus, omne
Turpiter emporium, lucrique libidine fervet,
Et totos hac arte dies consumit et annos.
Utque dies tristi, sic nox abit anxia monstro,
Nullaque pax vitio rodentibus intima curis
Pectora, nulla quies, post turpia lucra diurnae
Fraudis et exlegem quaestum, si lumina somnus
Occupat et duro furatur membra labori:
Pictus imaginibus, formisque fugacibus astat
Morpheus et variis fingit nova vultibus ora,
Vanaque sopitos ludunt insomnia sensus.
Nam rerum tenues umbras, simulacraque servans
Lubricus assiduis ut fluxibus ambulat humor
Et nunc summa petens reptat, nunc ima relapsus
Antra cavernosi capitis rigat, itque, reditque
Nunc iter obliquum sinuans, nunc tramite recto
Fertur et ipse sibi redit obvius, aut agit arcum
In dextram laevamve cadens, ut pellit et urget
Fumus et ingressi cava spiramenta vapores:
Sic rerum species variis concursibus, ut sors
Obtulit, aut usus, vel vis incognita coeli,
Spirituumve potens industria nocte silenti
Diverso ostentant diversos ordine casus.
Ceu varias voces, diversaque nomina rerum
(Si novus inversis surgat compagibus ordo)
Difformes eadem faciant elementa figuras.
Haec duo Roma notis et amor componimus hisdem
Tramite converso et retro redeunte meatu.
Quae simulacra magis vigilans exercet in unum
Nocte revertuntur, verisque simillima formant.

Ostentantur opes cupido, quia tempore lucis
Cogit opum species et iter, quod luce frequentant,
In tenebris repetunt et noto calle recurrunt,
Caecaque praeteritas imitantur somnia curas.
Quum tacitis ergo rediit nox humida pennis,
Atque soporiferos niveis argentea bigis
Luna vehit radios, somnus, per rura, per urbes
Spargit lethaeo medicata papavera rore,
Et vigiles abigit secreta incendia curas.
Pulsae abeunt celeres ad tristia limina Ditis,
Atque leves haerent sub opacae frondibus ulmi.
Ulmus enim diffusa comas et brachia late
Surgit ibi a validis radicibus, illius ergo
Muta sub umbrosis habitant quae somnia ramis
In thalamos hominum et tenebrosa cubilia ducunt:
Dantque suos illis vultus, vocemque, habitumque,
Illa per obscuros capitum delapsa meatus
Ad vigilem subeunt animum, casusque figuris
Mobilibus formant, sopitaque corda iacentum
Sollicitant, nec vana minus quam vera fatigant,
Interea circum vittas et anhela frequentes
Ora volant curae, moxque ut sopor evolat, intrant,
Mordacique secant iterum praecordia rostro.

(*Cupiditas corda rodit*)

Haec est quae Tityum volucris ferit ore cruento,
Aeternae natum poenae, aeternoque dolori.
Monstrum igitur si quando quies blandita soporem
Reddidit, aut auro insudat, sublatave furto
Semina frugiferae Cereris, vel inania plangit
Horrea, vel dura decussos grandine fructus,
Effusamve fretis mercem, deprensave furta,
Atque iterum tractat sub nocte negotia lucis
Totaque sub curis it vita simillima morti.

Haec animum turpi maculans et corpora labe
Quaerere coelesti pretium pro munere iussit,
Vanaque composito mendacia fingere vultu,
Quando gravem sacro morbum Naamanus in amne
Abluit et puerum spoliis oneravit et auro.
Haec eadem scelerum genitrix, fraudumque magistra
Reginam Libycis posuit quae in collibus urbem

Aere, viro, patria spolians, peregrinaque circum
Aequora, per rapidas Syrtes, per barbara pellens
Regna diu profugam terris iactavit et unda.
Haec Priami natum, cui longa pepercerat ira
Martis et a patria procul obsidione latentem
Thraicio iuvenem innocuum mucrone peremit.
Ah scelus, ah dirum facinus, multoque piandum
Sanguine primaevae imberbem sub flore iuventae,
Ignarumque doli puerum, nil tale verentem
Perfidus obtruncat, placidum rosei decus oris
Et regale caput, simplex sine crimine pectus
Et natas ad sceptra manus, veniamque precantes,
Vulnerat immitis repetito saepius ictu.
Praetereo conscisa sui qui corpora nati
Diis epulanda dedit, quique auro vendidit urbem,
Quique suum superans hostem superatus ab auro
Exanimum Phrygio versatum pulvere corpus
Misit ad extremos ignes, patriumque sepulcrum
Non prece, non lacrymis motus, non voce paterna,
Nec misero casu queruli senis, immemor omnis
Iustitiae, solo placatus munere, tandem
Hectora restituit Priamo, sua pignora patri,
Quique per undosum dulces ne perderet aequor
Divitias retro conversa nave per undas
Ad patriam et saevos rediit non inscius hostes.
Quique Deum manibus rapiens pendentia dona
Sacrilegus Superûm vanos irrisit honores:
Et qui surripiens auri duo milia pondo
Et lateres fulvos, fucata subintulit aera,
Ut genus effrenum Nasamon qui versus in austros
Incolit Isiaco contermina rura Canopo,
Naufragiis victum quaerens gaudere procellis,
Turbinibusque solet, fusasque per aequora merces
Colligit et nautas ad Punica littora pulsos
Auxilium simulans violat. Sic improbus auri
Raptor in adversis quemquam si viderit angi
Casibus exultat, fictoque astutior ore
Dum promittit opem spoliat, praedamque reportans
Celat et exuvias occulto congerit antro.
Haec quoque venalem (tanti quis crederet Orcum?)

Esse Deum fecit, semen coeleste piando
Progenitum sceleri, divinae mentis alumnum,
Virgineoque alitum gremio, crimenque volentem
Solvere et antiquo contractam fomite labem,
Dira fames auri culpae regina, parensque
Perdidit, indigno signatum verbere corpus.
Confixum caput et duplici manantia rore
Pectora, pallentesque genas, frontemque cadentem
Ingratae moriens plebi monstrabat ab alta
Arbore, purpureum terra absorbente cruorem.
Haec opera, hi fructus, haec gaudia mentis avarae.
Hic memor antiqui sceleris dum tristia flerem
Funera virgineae prolis, largoque maderent
Imbre genae, vidi ex alto telluris hiatu
Deformem prodire chorum: sartagine lata
Signifer armatus vestigia lentus agebat,
Quem confusa cohors cultris, armisque popinae
Pressa sequebatur, patinas, unctosque lebetes,
Visceraque oblongis verubus confossa gerebat.
His comes in bellum turmis veniebat inerti
Turba canum gressu, quorum cutis aspera multam
Fluxerat in scabiem, sanieque fluentia linguis
Ulcera lingebant et crebro ardentia morsu
Scalpebant terga, et scabras prurigine clunes.

Quintum monstrum: Gastrimargia (gulositas).

Hoc quoque Cerbereis monstrum de faucibus exit
Ridiculum: nam pingue caput, frons prominet alta,
Labra, genas oculosque tumens, sub gutture lato
Surgit et inflatum tollit cutis uvida pectus.
Trita, brevis, maculata mero et pinguedine vestis
Vix renes, clunemque tegit, ventremque profusum.
Raraque collisis aegre vestigia mutat
Poplitibus, curvis putruere sub unguibus escae.
Ad lumbos, ad utrumque latus lacrymantia circum
Tuceta et guttis suspensa fluentibus haerent
Sumina, lapsus adeps iter et vestigia signat.
Oenophoro laeva armata est, abdomine dextra,
Ante cibos quam pressa gravi sub fasce priores
Concoxit natura, novas superingerit offas,
Impatiens famis, escarum infinita vorago.

Pocula prensa manu sitis implacabilis haurit:
Et crebro exhilarat Bacchus convivia potu.
Garrula, lenta, salax, petulans, improvida, turpis,
Immemor, indocilis, levis, ebria, dedita somno,
Semper olet, naresque gravi contristat odore.
Talis erat multo spumans Silenus Iaccho
Quum capitis nutu in collum curvatus aselli
Cervicem super atque iubas stillante saliva,
Risus erat Faunis, Nymphisque colentibus agros.
Concava non tantum maris absorbere Charybdis
Dicitur a Calabris quae dividit arva Pelori,
Quantum haec ingluvies vini demergit in alvum,
Hirsutam setis alvum, densaque comantem
Pube, per humentes it grex teterrimus umbras
Grex olim Syllae infestus, vatique Tragoedo,
Et pingui sudore cutem depascitur udam.

(*Ebrietatis incommoda*).

Blandior ingressu primo Semeleia proles
Incalet atque vias fumos exhalat in omnes,
Concluditque aditus, per quos a pectoris antro
Spiritus ascendit curvas in verticis aedes:
Nam nebulae fervente mero per guttura pingues
Attoniti capitis summam volvuntur in arcem,
Pugnaque fit; validis alti mens incola tecti
Defensura suum limen succingitur armis.
Sed conata diu bacchantem extinguere fumum
Victa fugit, victor subiens penetralia Bacchus
Cui comes it Sopor et torto Dementia gressu
Per cerebri, humentesque sinus, animaeque sacellum
Lethaeo spargens haustos de flumine rores,
Inducit somnos hebetes et Morphea doctum
Fallere imaginibus, nocturnaque fingere monstra,
Pondere pressa Dei connivent lumina crebris
Nutibus et placidae nequeunt obsistere nocti.
Lingua loquax prius et nullis obnoxia vinclis
Iam delusa labat, verba imbecillia presso
Fine cadunt, blaeso sonus evanescit ab ore,
Labentemque pluit per mentum barba salivam,
Qualis in umbroso Protheus mutabilis antro
Pressus Aristaeo iacuit qua Carpathus inter

Niligenas, claramque Rhodon caput extulit undis,
Qualis in occidua pugnax Anteus arena
Et ferus Aemonie victore sub Hercule taurus
Fusus humi cubuit. Qualis Minois in aede
Semivir eructans spumantem sanguine praedam
Cecropio, qualisque cavo sub carcere plena
Cerberus ingenti diffundit viscera campo:
Talis in immundo vinosum belua corpus
Pulvere distendit, tumidam sic explicat alvum,
Aegraque turbato sic deiicit ordine membra.
Nunc ventosa tument, nunc contrahit ilia flatus,
Alternisque sonat vocis via murmure rauco,
Pectus et ora lavat tepido fumantia rore
Sudor et undantes currunt per tempora rivi.
Somniaque occurrunt, pingues sunt somnia mensae,
Atque coronati fuso crateres Iaccho
Ad celeres nunc labra bibunt, nunc humida muscae,
Lumina nunc bifido rimantur tempora rostro.
Dum loquor et turpis moror ad spectacula monstri,
Ecce novae gentis resonans fragor impulit aures,
Et tellus nova castra vomens ingentia fudit
Agmina, quae campis immissa patentibus omnes
Complevere vias et culta novalia, nec iam
Rus capit has acies et non numerabile vulgus
Vicinas intrare urbes, incendere templa
Visa cohors et ferre novas in moenia flammas.
Signa sequebantur moerentes ordine turmae
Composito, signa arcus erant, fax, tela, pharetrae,
Et quanquam haec essent hostilia castra, genusque
Pestiferum, ridere tamen, facilesque choreas
Ducere permixtis laeta ad convivia turbis
Suadebant, fierique leves cum carmine ludos.
Dux erat his formosa Venus, suspensa Cupido
Filius hastili longo vexilla ferebat:
In gremio matris, mollique in veste volutus
Insidias Iocus et varias excogitat artes.

Sextum monstrum, Luxuria.

Haec fera Cocyti de tristibus enatat undis
Ore nitens, animo maculata, simillima sorbo,
Quod nitido tristes claudens in cortice succos

Decipit ignaros, morsuque venenat amaro.
Illecebris et fraude potens, astuque, dolisque
Dimicat et vultu pacem praetendit amico.
Hanc contra certare cave, contendere vinci est,
Vincere terga dare et retro vestigia ferre.
Fulget in egregio decor insuperabilis ore,
Ornatuque iuvat formam, ligat auricolorem
Lutea vitta comam, molles quae fusa per armos
Leniter inflexos sensim finitur in orbes,
Candida frons, lateque patens ad tempora currit.
Clara superciliis velantur lumina nigris.
Picta genas, pressi sub honestis naribus oris
Purpureos coëunt imitantia labra colores,
Aurea procero, teretique monilia collo
Pyrgotelis coelata manu formatus in illis
Qualis erat vivens pastor formosus Adonis,
Pendet et intextis viridi curvamine ramis.
Myrtus opus cingit, geminaeque in fronde columbae
Mutua porrecto collibant oscula rostro.
Cum graditur tenui summum bulla aurea pectus
Verberat applausu, perstringit eburnea vestem
Fibula coccineam, textoque subalbicat auro
Corpus et exili fila inter serica veste
Lacteus apparet mixtus cum sanguine candor.
Qualis odoratis Paesti quae nascitur hortis
Est rosa confusis rutilante coloribus albo,
Rara sinum chlamys et visu penetrabilis ambit,
Albaque sub tenui cutis interlucet amictu.
In geminos orbes glomerata utrinque tumescunt
Pectora, zona sinus cohibet baccata fluentes:
Gemma humeros non una tegit, digitosque micantes,
    Hoc habitu ad ripas Phrygii Simoëntis amatum
Ibat ad Anchisen: Marti velamine in isto
Est congressa, cavo dum vir sudaret in antro
Mole sub Aethnea, qua fortibus aera lacertis
Volvit in ardenti durus fornace Pyragmon:
Qualis erat Tyrios ludens Europa per agros
Sive per Hybleas errans Proserpina valles,
Cum Cyane in liquidum fluxit mutata liquorem;
Qualis in ornatu Libyco Sidonia mater

Comptior et festis solemni more diebus
Cum nuribus Phrygiis multo spectabilis auro
Tyndaris ad divae veniens Tritonidis arcem,
Seu quales ineunt regum convivia nuptae
Buxea cum laetos modulatur tibia cantus:
Tale super picto per rura, per oppida curru
Progrediens monstrum nunc hos, nunc vulnerat illos
Luminibus motis apte, gestuque venusto.
Obvia diffusos crines, vestemque decoris
Motibus impellens divinum spargit odorem
Aura, sonat tenui ludens vaga bractea vento.
Ore pudicitiam simulat, castumque ruborem,
Nam magis innocuo si sit coniuncta pudori,
Forma movet, condita gravi comitate venustas
Accendit rapidos furiis afflantibus ignes.

(*Mala quae sequuntur ex illecebris Veneris*).

Haec sunt illa quibus Veneris puer arma superbit,
Et quibus imperium terris quaesivit et alto.
Hinc hominum surgit crucians insania mentes,
Quae dulces abigit somnos, quae pallida reddit
Ora, parit gemitus, in amaros lumina fletus
Solvit et in totum suspiria seminat orbem.
Mira huius natura ferae, non ense, nec hasta
Vincitur, inter equos, thoraces inter ahenos,
Per galeas, conosque truces incedit inermis.
Nuda manus, sine thoracis, sine cassidis usu
Concita in hostilem victrix agit esseda turbam,
Praeteriensque hominum castra imbecillia ridet.
Martia fert Macedo teretes in bella sarissas,
At Scythicae longis utuntur Amazones hastis.
Romulidae certant pilis, celeresque catheias
Barbarus adversos Gallus iaculatur in hostes,
Parthus equo versis pugnat fugiente sagittis.
Sunt varii mores, usus non omnibus idem
Militiae, non omne unis genus utitur armis,
Sunt isti sua tela ioci, risusque modestis
Nutibus et pulchro ridentia lumina vultu.
Dura quibus penetrat compagibus aera solutis,
Scutaque multiplici chalybis circumdata veste.
Scit Paris, Aeneasque pius, scit durus Achilles,

Alcidesque Iovis proles, scit Iuppiter ipse
Saepe ferae insidiis factus fera, cygnus et aurum:
Scit crudelis idem Theseus, victorque Medusae,
Cuius adhuc retinent illustrem sidera praedam.
Hoc regina modo Babylonia, Pasiphaëque:
Sic Bacchi delusa parens, sic et Phaëthontis
Victa Cupidineo mater, quae languit igne,
Venatrixque soror Phoebi, scit Lamia rupes.

(*Varia genera libidinis*).

Haec fera adulterium parit, incestusque nefandos,
Stupraque et igne scelus dignum, quo barbara quondam
Abstulit immixtis sulphur quinquurbia flammis.
Nunc lacus est, ubi tunc homines errare solebant,
Et qua Pentapolis regio fuit, aequora lentus
Pigra liquor vestit, qui mortua corpora sorbet,
Viva gerit tergo sceleris monumenta vetusti.
Hanc Venerem dixere patres, quam spumeus humor
Progenuit, lenique salo delata propinquum
Littus ut applicuit, placido per pectora lapsu
Se insinuans delubra sibi quaesivit et aras.
Flamma latens venis Venus est, furor ossibus haerens.
Hinc Iocus, hinc frater satus est, qui tela, facemque
Gestat et auratis sine lumine militat alis,
Omnibus has natura potens et provida curas
Addidit, hos stimulos atque hunc animantibus ignem.
Quod praestat magis ossa calet, Venus acrior urget:
Nam meliora magis prohibens natura perire
Ad genus augendum flammis gravioribus instat.
Ast hominem (cui plus divini luminis auctor
Tradidit et flecti voluit rationis habenis)
Legibus hunc certis iussit cohibere furorem,
Imposuitque modum Veneri, ne pluribus una
Nubat, ut unius coniux sit coniugis unus.
Hinc proles, hinc sancta fides et honesta feracis
Copula connubii, legis mysteria nostrae.
Sed Venus hos mores, naturaeque addita frena
Non patitur, nulloque potest mansuescere vinclo,
Ac velut unda fluens pronus quam colligit amnis,
Si solitos misso tardaveris obice cursus,
Murmurat et claustris furit indignata teneri,

Perlustransque aditum tumet et spumantia terga
Elevat et molem fluxus quae intercipit urgens
Pondere crescenti semper convellere tentat
Et tandem everso celerem trahit aggere cursum
Assuetum per iter, notisque dat oscula ripis.
Sic Venus iniectis crescente libidine vinclis
Vento inflata calet, pedibusque repagula vincens
Libera perniciem facto rapit agmine gressum.
Ite procul iuvenes, simplex et credula turba,
Praeda eritis, dabitis poenas, haec belua Thysben,
Haec Cinyrae natam rapuit, Scyllamque paterno
Crine ream, Proeti sobolem, Lotidesque puellas.
Ite viri procul, ite nurus, haec belua tinxit
Caede maritales thalamos et sanguine Lemnon;
Haec iras, haec bella parit, circumspice campis
Quae Stigiis errant umbras, pallere videbis
Tristitiaque premi et rubrum sudantia rorem
Tela coronari myrto et nunc ire per umbras,
Pallentes umbras nemorum, coenosaque lustra
Et nunc aere graves vestigia ferre per hastas,
Nunc per equos, has dura Venus certare coëgit,
Pulvereque aspergi et gravibus sudare sub armis,
Atque pati geminum duplici sub Marte furorem.
Dicta sub exiguo claudantur ut omnia versu,
Divitias, animum, corpus, necat, inficit, aufert.
Talibus exultans armis et milite tanto
Multa catenatis heroum millia secum
Ducebat manibus, nitidosque per omnia flores
Compita iactabat, violas, hyacinthon et alba
Lilia, purpureasque rosas, amaranthon, anethi
Gramen odoriferum, casias et cynnama, nardi
Semina et Assyriae dederant quae balsama sylvae,
Narcissum, croceasque comas rutilantia fila.
Sed passim infestae iactis de floribus herbae
Surgebant, quas gignit ager Sardous amaris
Frondibus et taxus, tristique absynthia succo.
Mordentis genus urticae, curvisque rubeta
Dentibus et tribuli, titimallus, inane cicutae
Germen et erectae tollunt quae hastilia sentes,
Omnigenique seges subit importuna veneni.

Dumque oculis abiens agmen sequor, ultima pigris
Passibus umbroso gens ascendebat ab Orco,
Gens obscura, carens titulis, ingloria, laudum
Indiga, vulgus inops, proles ignara laborum,
Segnis, iners. Timida pictum testudine velum
Ante ferens ibat Torpor: sine nomine longa
Turba sequebatur pompa, dux ultima castra
Nixus equo tenui, vultum deformis agebat.

Septimum monstrum: Acedia.
(*Quoad habitum et dispositionem*).

Haec est curarum genitrix, exercita nullis
Artibus, officii nullo laudabilis usu,
Segnities, inter socias nutrita Megerae,
Doctaque languores animi, luctusque magistra.
Sola sedens, oculosque solo defixa malignum
Crispa supercilium, pallens, impexa capillos,
Phthiriasim patiens scalpit caput unguibus uncis,
Os immunda, manus illota, cadente saliva
Barba madet, pluit imbriferis de naribus humor.
Debilis et longo pendens in pectora dorso
Fauce tumet, levat angusto sub pectore ventrem
Utris ad exemplum, morbique intercutis instar.
Crus exile, genu surgens, pes pinguis et amplus
Tardat iter, gravibusque dolet iunctura podagris.
Haec fera servilis sanctae fastidia vitae
Ingerit et tardos ad clara negotia sensus
Somnifero languore premit, frigentia corda
Involvit gelido densae velamine nubis.
Nil nisi terrenis haustum de faecibus unquam
Cogitat, annales veterum, dubiamque futuri
Temporis ignorat sortem; non ulla latentes
Cernere naturas rerum, causasque tueri
Cura subit, subiecta oculis vix aspicit, aegre
Palpebras levat haerentes, humore tenaci
Lumen hebet, surdent aures, vox languida, sermo
Barbarus, obscuro verba interclusa palato.
Seminat infelix lolium, frigensque papaver,
Lethaeisque rigat steriles humoribus hortos.
Plumbea liventi gestat connexa metallo
Vincula, captivos hominum quibus alliget artus.

(*Genus et mores Acediae*).

Saturnus pater est isti, nox humida mater.
Hanc genuit, magnos Iovis ut compesceret ausus,
Itala cretaeis petiit cum littora rostris.
Penula trita, fluens humeris, a pectore aperta,
Sordida, neglecto cultu, demissior ante,
A tergo brevior, textu laxata soluto
Fila oras circumpendent, rosere cothurnos,
Articulosque pedum mures et olentia nigris
Sordibus immundae sulcant calcanea rimae.
Ipsa sibi gravis est: turpi deiecta quiete
Moeret et ignorat causam moeroris et ortum.
Ebria lethargo semper, tristique veterno
Virtutum formidat iter, monstratque labores,
Difficilesque vias et re maiora videri
Cuncta facit, ceu si vitreo sub gurgite virga
Mersa sit aërio, quia corpore densior unda est,
Ingentem sparsa mentitur imagine formam.
Sic hominum falso deludit Acedia vultu
Spem minuens, animosque premens, operumque futura
Praemia deridens, contemnit fulmen et ignes
Tartareos, frustraque docet Phlegethonta timeri.
Aeacon et Minoa negat, nullum Rhadamantho
Iudicium tribuit, foedaeque libidinis usum,
Et Veneris concedit opus, convivia, ventris
Ingluviem laudat, sic lentus pectora torpor
Occupat et pigras ita vincit inertia mentes.
Instructis laute mensis, si copia detur,
Indulget, quaesita vorat, sed quaerere nescit,
Inde graves curae, longaevaque taedia surgunt.
Sic nocet hoc monstrum et iustis conatibus obstans,
Suadet ab obscoenis quaeri solatia rebus.

(*Infecti praecipue hoc vitio*).

Hoc inhonoratum scelus, ignavumque sequuntur
Ignotae, tristesque animae, quas nulla futuri
Cura, nec aeternae stimulavit gloria famae.
Si tamen hoc quaedam retinent ex ordine nomen
Non sua, sed virtus illos laudata priorum
Vel genus excelsae gentis, vel regia virga
Imbelli gestata manu, vel nobile crimen

Egregiumve scelus sciri sine laudis honore
Cogit et invitas hominum transmittit ad aures.
Istorum turpi ex numero et de plebe nefanda
Unus erat modico dominum qui vendidit aere,
Unus et ostriferam Sesto qui iunxit Abydum
Pontibus et magnum falsis Athon abluit undis.
Mox ubi convulsas audivit in aequore puppes,
Et pontem aequoreis confractum viribus, amens,
Qua Phryxi germana iacet rate fugit inermi.
Talis et Aeneadum Phrygio de sanguine Caesar
Ultimus, Ausoniae labes et dedecus aulae.
Talis ab Assyrio veniens longo ordine Belo
Sardanapalus iners, qui non Chironis in antro,
Nutritus, non inter equos erat, inter et enses,
Sed calathos circum, saturataque vellere rore
Muricis et tenues lanas, quas Sericus altis
Pectit ab arboribus, violasque imitantia pensa,
Purpureosque croci vultus, hyalique colores,
Crinitosque colos, solium regale tueri
Nescius, ut regni invasor iurata coëgit
Auxilia et celeri maturans arma paratu
Attonitam cinxit subitis legionibus urbem,
Stamina deposuit tandem et de plebe fugaci
Componens raras acies, cum milite pigro
Exiit in pugnam, molles talaribus armos
Assuetum tunicis, clypei gravis aereus umbo
Pressit, ut horribilis pugnae cava buccina signum
Edidit, ut rigidum campos ingressa patentes
Terrifico cantu cecinit vox bellica Martem,
Et levis insonuit crebris hinnitibus aura,
Obriguit, stupuere oculi, liquere trementes
Lora manus, clypeusque cadens (res digna triumpho)
Formicam oppressit veteris de sanguine natam
Myrmiones, quae Myrmidonum genus acre virorum
Edidit, excussum est rostri de forpice granum
Et tristem moriens liquit sub pulvere vitam.
Non poterat tanta armorum dux mole sepultus
Et tanto sine caede pedem subducere bello?
Talis in ignavo regnabat pectore virtus,
Post clarum facinus fugit, solitumque cubile

Depositis repetens armis se misit in ignes,
Foemineos semper mores imitatus et artes:
Hoc animi fortis moriens opus edidit unum.

LIBER SECUNDUS

(*Misera Virtutis sors*).

Ista regunt orbem, scelerumque licentia regnat,
Relligio contempta iacet, spretusque Deorum
Cultus abit, tritaque Fides iam pallida veste
Infirmis titubat pedibus, pessumdata legum
Maiestas, tot monstra pios immania mores
Invasere, silet Probitas, Pudor exulat, alas
Explicat, ad limen Pietas reditura paternum,
Vilis et attrita Virtus in veste relictis
Viribus egrediens loca per deserta vagatur,
Solaque; nam merces, laus, gloria, fama, triumphus,
Gaudia, pax, successus, honor, reverentia, cultus,
Maiestas, favor, imperium, populique secures,
Virtutum comites olim dum pinguia curvo
Iugera scindebat consul Romanus aratro,
Et dum prima suis gaudebat ovilibus aetas
In scelerum fugere domos, dolus, arma, rapinae,
Furta, venena, neces, veneres, iniuria, fraudes,
Insignes celebrant solemni laude triumphos.
Pallida velato Virtus abscondita vultu,
Qualis it amisso mulier viduata marito,
Visa sub ambigua nocturnae lumine lunae
Saepius est et sola die lugere per umbras,
Per loca, silvosas inter frigentia valles,
Qua Dryades habitant, ubi fessa quiescit Oreas,
Est audita procul tales effundere questus.

Querimonia Virtutis.

Cur ego quae magni sum semine nata Tonantis
Et coeleste genus senior sublimibus astris
Deseror? humanisne unquam fortasse negavi
Rebus opem? vel forte meis non amplius armis
Mundus eget? Cur nunc tanto surgente tumultu
Debilis haec hominum soboles tot millia contra
Ditigenum nostra nullum munimen ab arte

Postulat? An validae non sunt ad praelia vires?
Nonne acies totidem, nonne est industria nobis?
Nonne animi? liceat de me mihi vera fateri.
Fortunae domitrix ego sum, scelerumque flagellum
Semper tela manu ferimus, cum crimine semper,
Si genus humanum poscat, sunt aspera bella,
In promptu nobis et opes et miles et arma.
Utque hominem tuear, Superumque in tecta reportem
Incolumem, Stygias omnes demolior artes.
Ars mea mortales ad Olympica regna, Deumque
Hortari, monstrare vias, quibus itur in altum
Aethera, sum medium dirimens iter orbita recto
Limite, qua monstrantur adhuc vestigia patrum;
Qua veteres coelo digni petiere Tonantis
Limen, ubi nitidis sunt lactea flumina campis.
Nescio delicias, nullum insidiosa voluptas
Mecum foedus habet, mihi lis de limite regni
Cum vitiis, multumque inter contraria pugno:
Namque meos inter regnum mihi contigit hostes.
Me labor assiduus validam facit, otia frangunt,
Et quoties opus est, armis exterrita nullis
Congredior, vinci et succumbere nescia; si quod
Pondus ab adversis iniectum est casibus, aequa
Mente fero, ipsa hominem doceo, variasque per artes
Erudiens paucis diis immortalibus annis
Persimilem reddo, sine me cognoscere rerum
Non licuit causas, per me pulcherrima mundi
Machina, quae miris subiectum legibus orbem
Temperat, expresso rapidi patet ordine coeli.
Me sine quae magno numeris elementa ligantur
Corpore non poterant, nec ros, nec fulmina sciri.
Me duce, nota soli vis est et mobilis undae.
Me quoque summa patris pietas interprete constat,
Unaque cum duplici simplex essentia partu.

Ipsa feros hominum docui componere mores,
Ipsa Solonigenas leges, praecepta Lycurgi,
Plebiscita Numae, magni consulta Draconis,
Bissenasque dedi tabulas et ferrea iura.
Me duce, regnarunt Belus, Belique nepotes,
Et Persae, Libycique duces, me praeside Roma

Floruit et lata rerum ditione potita est.
Ipsa comes Graiis aderam, quum Troica contra
Pergama depulsis ex Aulide navibus ibant.
Me duce, Romanus Tyrias radicitus arces
Eruit et Solymas turres, Bimaremque Corinthum
Atque Syracusios Arethusae moenia muros.
Belliger extremas, duce me, tulit arma per urbes
Bacchus et ardentes victricia signa per Indos,
Nysaeamque locans Arabis de nomine Nysae
Dixit et ad teretes hederas coniungere thyrsos.
Pampineasque comas tremulis agitare corymbis
Menades instituens Dionysia festa quotannis
Iussit ab Eoa fieri solemnia pube.
Ipsa ego combustae retinent quae nomina mammae
Foemineas ad equos turmas et ad arma paravi.
Plebis ego Solymae siccis vestigia plantis
Per maris erecti pendentes undique fluctus,
Murorum in speciem, vada Phoebo incognita duxi,
Me quoque prima viros ratis inventrice per altum
Aequor et audaci tulit aurea vellera cursu.
Alcides tot monstra meis deformia vicit
Viribus et quidquid Musis, Phoeboque vetustas
Ascripsit nostrum est. Vates ego, sanctaque vatum
Pectora melliflui divino nectaris imbre
Largius irroro, dulcique aspergine lustro.
Fons ego Castalius, Pallasque ego, nomina plura
Res eadem, non sum morbo confecta, nec annis,
Incorrupta, virens, immortalisque remansi.
Caelestes etenim nihil in me motibus orbes,
Sydera nil radiis possunt, nil lumine Titan.

(*Continuat Virtus querelas cum execratione ingratitudinis*).

Post igitur tantorum operum experimenta, fidemque
Deseror ignotis errans ingloria campis.
O vere ingrata et meritorum oblita meorum
Saecula, nec priscae quicquam servantia laudis!
O Numa, Romulidum sanctissime, vosque Catones
Mascula progenies, tuque o metuende securi
Et Celtae spolio insignis Torquate superbo,
Vosque, genus Decii egregium, tuque optime Quinte
Eximium patriae decus et tu magne Quiritum

Maxime, quo Caesar fortuna et crimine tantum
Clarior est, vobis ista cum gente profana
Iudicibus si fas esset contendere coram
Dicere veridicis causam sermonibus ausim.
Sola queri possum, mecumque sub ilice muta
Testis, ubi nemo nisi Numina conscia recti
Arguere ingratas gentes, oblitaque mores
Corda meos, mea sit tacitis querimonia silvis
Nota, nec ad stolidi veniat consortia vulgi.
Patrono mea causa caret, quia pectora plena
Perfidiae, fastuque animos tollente superbo
Ire per anfractus audent impune malorum
Adversasque sibi leges, inimicaque iura
Frangere et audaci culpas defendere vultu.
Propterea sanctis ratio cum moribus urbes
Iam fugit et magni rector moderaminis ordo
Posthabitis terrae solum regit aethera curis.
Sceptra scelus rapuit, positis custodibus omnes
Scrutatur regni fines, aditusque tuetur.
Scire pati sanctum est, partem Deus omnibus aequam
Servitii, imperiique dedit, non omnia semper
Astra, sed alternis nunc hoc, nunc imperat illud.
Delia regnabat, mundique tenebat habenas
Cum moles aequanda Iovi consurgeret et cum
Saxa Gygantaeae volvebant ardua vires.
Tum primum ignotis homines sermonibus usi,
Distinctosque habuere sonos, duce Marte profusum
Aequor in aërios misit vada coerula montes.
Triste reluctando non est leve vincere fatum,
Conarique polos et fortia sidera contra.
Navis ut adversa remo cum impellitur unda,
Fortia ni totis incumbant brachia nervis,
Ictibus et crebris instent, non vincitur amnis.
Cedendum est, leges in idonea tempora nostrae
Pervenient, dabitur nostris sua moribus aetas.
Necquod sola vager, doleo, perdenda virorum
Millia tot, tantamque dari praedam queror Orco.
Non pereo deserta, perit qui deserit, error
Alligat errantem, mea si tamen ora fuisset
Fas homini, vivumque decus, formamque tueri,

Non illum blandis unquam peritura voluptas
Flecteret illecebris, nec ficto falleret ore.
Sed mihi secretum voluit pater esse decorem,
Ut labor obluctans, iniucundique dolores
Humanos acuant animos, post perdita primae
Munera iustitiae, veterumque infausta parentum
Exilia et pressos iniecto fomite sensus.
O miserum mortale genus, quid debuit ultra
Pro te, proque tua Deus attentare salute?
Ultra immortales animos, superaddidit artes
Ornamentum ingens, sociam me tradidit, ipsum
Se tibi pollicitus, coeli tibi limen apertum,
Et fugis auctorem, servatoremque, ducemque?
Et chaos obscurum claro praeponis Olympo?
Olympo sedes ubi sunt et templa Tonantis,
Qui nive non albet, nulloque madescit ab imbre,
Nec quatitur ventis, nec fulmine vapulat ullo.
Gliscit ibi sine fine quies, sine fine voluptas,
Pax aeterna, iubar stellis et Apolline maius.
Ah genus ingratum, fera mens, ignobile semen,
Degeneres animae, mores imitata ferarum
Progenies, tali proles indigna parente!
Nam pater est Deus ipse tibi, tibi maxima tellus
Paret et illius dono tibi militat aër,
Unda subest, servitque tibi Neptunia Doris.
Tu refugis? patremque negas? tot dona ferentem
Dissimulas? quae poena tuis erroribus aequa est?
Quae sceleri tormenta tuo debentur? et audes
Astriferos oculis spectare rebellibus orbes?
Astra tibi, clarique suis quos aspicis ignes
Motibus imperio patris haec alimenta ministrant.
Dum tibi, dumque tuo patri se subiicit orbis
Totus et assiduo properans obtemperat usu,
Tu Veneri insudas, avidique voragine ventris
Rumperis, escarumque ferens grave pondus anhelas.
Sed quid ego in tales nil profutura querelas
Effluo? cur lacrimis oculos, singultibus ora
Nequicquam indulges? tua cur eviscerat iste
Corda dolor, quondam florens, modo languida Virtus?
Et videt et iusta librat Deus omnia lance.

Ipse ubi tempus erit nos in violata reducet
Regna memor, pater ipse meas ulciscitur iras.
Singultus inferna palus et verbera dira
Audiet et tristes umbras ululare sub altis
Inter sulphureos Erebi fornacibus ignes.
Interea lucos posito moerore silentes
Tuta colam, vilesque casas, ignota latebo,
Ut postquam Diti sat erit, vitioque litatum,
Nobilibus succurram animis et lapsa reducam
In medium certis vestigia finibus arcens.

(*Quomodo poëta novit querelas Virtutis?*)

Saepius audita est et talibus usa querelis,
Dicitur in silvis Virtus, nemorumque per umbras,
Una Camoenarum saltus tum forte per illos
Praeteriens, sacrumque petens Helicona notavit
Singula et huic nostrae dedit inscribenda papyro.
Ut si vipereae stimulis accensa Megaerae,
Natorum impietas fuget et discordia matrem,
Exilioque procul peregrinum invisere mundum
Urgeat, illa licet casu afflictetur amaro,
Et tepido lacrymans lavet ora, sinumque liquore,
Nil crudele tamen natis, nihil optat acerbum:
Nam patiens natura pios non deserit ignes.
Immo suum liceat si quando revisere limen,
In dulces ruet amplexus, dabit oscula notis
Frontibus et tristes vincet singultibus iras.
Sic Virtus hominum dux et fidissima custos,
Quamvis pulsa graves gemitus, lamentaque fundit,
Prompta tamen nostris semper succurrere rebus,
Errores gemit humanos, gemit ebria corda,
Et quacumque potest non desinit arte mederi.
Foedera mortales Orci cum rege superbo
Coelitibus spretis iniere, datisque ligati
Obsidibus servare fidem coguntur Averno.
Per medias urbes colubris crinita Megaera,
Sanguineisque caput vittis intorta flagello,
In scelera et culpas homines urgere laborat:
Criminis et poenae dux, hortatrixque malorum
Fronte truci et torvo vultu conatur Erynnis.
Sceptra tenens iudex solio Plutonius alto

Ius populis dixit, leges periere Deorum.
Hinc irae venere Deûm, morbique, famesque
Improba, quae steriles nimium versata per agros
Hactenus intercepit opes et credita sulcis
Semina, nosque pati ieiunia longa coëgit.
Hinc bella, armorumque sonans Discordia motu:
Nam quia mens hominum mores oblita pudicos
Degenerat, noxis semper crescentibus, arma
Nos terrena premunt et nos Deus urget ab alto,
Multiplicique graves luimus sub Iudice poenas.

Nova iactura rei Christianae.

(*Turcae invaserunt plurimas regiones*).

Aspicis imperium nostrae, lacerumque, labansque
Gentis, ut hostili toties certamine caesum,
Sanguine barbaricos, spoliisque recentibus agros
Impleat et nostra pinguescat Achaica tellus
Caede madens, iam Graecus ager Machomaetia iura
Iam patitur servile iugum, ritusque nefandos:
Insula qua Pelopis muro circumdedit Isthmon,
Qua fluit Alphaei Siculis potandus in agris
Eurotaeque liquor, qua surgit Thracius Aemus,
Aemus, cuius apex niveis candoribus albens
Adriacos fluctus, Euxinaque littora cernit,
Qua videt Aetolas urbes Aracynthus ab altis
Rupibus et curvis Acheloia flumina ripis
Usque pruinosos Istri glacialis ad amnes,
Thraiciosque sinus, bimares ubi Bosphorus undas
Arctat et Europes Asiam distinguit ab oris,
Quaque sinu curvo Tethys Aegaea recurrit
Ad Mityleneas arces, Lesbonque superbam:
Et Tenedon, Priamique domos, ubi Xanthus ab altis
Se sinuat, Phygiae descendens vallibus Idae
Imperium Machometus habet, crucibusque fugatis
Per quondam nostras insignia barbara turres
Apparent, captae mutatis legibus urbes
Dedidicere fidem et sanctae mysteria Romae.
Haec nova, sed vetus est longe victoria maior,
Pamphyllum, Cilicumque lares ubi moenia Cydnus
Persaea fundata manu labentibus undis
Partit, Alexandri vada perlustrata natatu.

At cur Paule tuos pateris servire penates?
Paule pater, viden' ut saevis tua patria Tarsos
Subiaceat dominis, fideique ut foedera sanctae
Ruperit et legis servet commenta nefandae?
Surge, tuo pater ense, tuos defende nepotes,
Quam geris adversas, feriat romphaea cohortes,
Cappadoces, Phrygii virides, ubi flumine ripas
Curvat et argutos audit Maeander olores,
Et veteres Eneti, Carres ubi dicitur ortum
Augurium, Lycii, Pontus, Bithynia dives
Hannibalis tumulo insignis: Lidique vetustum
Unde genus Tuscis, fulvas ubi volvit arenas
Divitibus Pactolus aquis, haec omnia nostris
Hostibus et rigido parent invita tyranno.

(*Prosequitur miseram servitutem sub infidelibus*).

Heu quot singultus, heu quot suspiria matres
In viduis laribus ducunt et coelibe tecto,
Quarum parva feri rapuerunt pignora Thraces,
Bistoniique equites! Capti puer atque puellae,
Flumine perfusi sacro, fideique elementa
Iam docti sua qui Christo iam vota, precesque
Curvantes genua ante aras offerre solebant.
Servitium dominis (miserum) crudelibus, inter
Vel Persas immite genus, venere, vel Indos.
Qui tenuit Solymos colles et ditia quondam
Regna Palaestinae, totum cui paruit olim
Caesareae, Antiochique solum, qua mitis Orontes
Currit et immissis urbem disterminat undis.
Cui Maurus servire solet, quem barbara Memphis
Horruit et dubia surgens ab origine Nilus:
Qui gelidum Tanaim domuit, victricia signa
Aethiopes, Scythicumque gelu qui protulit ultra
Thuriferosque Arabes, Libanique tepentis odores
Et iuga Caucasiis quae rupibus ardua surgunt,
Victor ovans Christus Poeno modo pulsus ab orbe
Amissis Asiae regnis, magnoque potentis
Europae spatio extremas male possidet oras:
Nam partem Hesperiae dederat cui nomina Bethys,
Maurus habet, potiturque domo Machometus Ibera.
Hanc cladem nobis scelus attulit: heu grave nostro

Dedecus auctori, nostri iam poenitet illum.
Tutelae piget assumptae, veterumque laborum,
Atque dati nostra pro libertate cruoris.

(*Calamitatibus impeditur poëta, quominus vitam Christi scribat*).

Si tranquilla quies et tristibus otia curis
Libera me sinerent sanctos invisere fontes,
Et totos Helicona dies consumere circum,
Prima salutiferi repetens exordia Christi,
Ad suprema meum venisset tempora carmen,
Actaque tentassem maiori singula versu
Texere et annales melioribus edere chartis:
Sed nec summa sequi trepidum fastigia tempus
Me sinit et caeci vis formidata veneni.
Nostra brevis, veloxque aetas et plena laborum
Nil altum tentare sinit, contermina meta est
Carceribus, coniuncta neci, subiectaque fato
Vita fugit, parvo occasus discrimine ab ortu
Distat et innumeris premitur breve cladibus aevum.
Pauca tamen ne me ignavum, tristique iacentem
Desidia, inveniat miserae lux ultima vitae,
Subiiciam, magni quoties benefacta parentis
Volvimus a curis animo fugiente caducis
Lucida caeruleis ceu toto e nubibus orbe
Sol abiens, monstrat ratio, quam turpe nocensque
Sit non iussa sequi Superûm et contemnere Divos.
Atque Dei iustas quoties a limine fixo
Iustitiae illecti vitio discedimus iras
Insinuat, mitesque dari pro crimine poenas
Et nostrum maiora scelus tormenta mereri.

Commemoratio beneficiorum Christi.

(*Mundus levatus a caeco idolorum cultu*).

Ante salutari quam tolleret unda lavacro
Crimen et irati valvas aperiret Olympi,
Aera, Deos, homines et ligna carentia vita
Esse rati lectas pecudes et debita caelo
Orgia ponebant surdis altaribus, ante
Facta manu simulacra sui cultoris et arte.
Numina fallebant Siculos Erycina colonos.
Iuppiter a Libycis qui nomina sumit arenis,

Aethiopes, Solisque domos ardore perustas.
Gnosiacos Dictynna Lares et rura Caystri,
Maeotisque lacus et clari regna Thoantis
Iussit ubi humanum spargi Dea saeva cruorem.
Perfida Cecropiam lusit Rhamnusia plebem,
Attica Cecropios Pallas, Rhodon altus Apollo:
Ortygiamque brevem Mycone, Giaroque ligatam.
At Tyriae Iuno Lybicas Carthaginis arces:
Thraiciisque Sami circumdata fluctibus arva,
Barbara cornigerum Memphis plorabat Osirim,
Laetaque percusso pubes Aegyptia sistro
Inachiae celebres veniebat ad Isidis aras.
Dindyma, per Cybelenque Phryges resonantia Galli
Sacra dabant matri Divum, per Gargara et Idam
Buxea multifori stridebat tibia cantu,
Tympanaque audito strepitu de rupibus altis
Praecipites ibant damae, lucosque petebant
Dorcades ignotos et inaccessas convalles.
Festa corymbifero Thyas renovabat Iaccho,
Et tepidas cornu ductus caper ibat ad aras.
Roma Panomphaeo sacraverat alta Tonanti
Limina, solemnes crebro visura triumphos.
Pastaque Clitumni virides armenta per agros,
Sic aliae variis delusae erroribus urbes.
Numinibus fictis aras et divite cultu
Ardua ponebant pario de marmore templa.
Saepe quidem vivo tanquam de corpore voces
Et confusa dabant veteres oracula Divi.
Sicut apud Delphos in parva Phocide nigris
Speluncae latebris clausus vocalis Apollo:
Sicut Chaoniae Phoebo illabente volucres,
Et cava Cumaeum spelaea sonantia carmen:
Verum haec vel fallax hominum versutia fecit,
Vel Stygiae mentes avium per nescia certis
Motibus humanum fingebant guttura murmur,
Formabantque leves per concava saxa loquelas:
Et quod siderei radiis coëuntibus ignes
Monstrabant caute populis multo ante futurum
Sive per augurium seu per vatum ora canebant.

Divinosque sibi cultus, curasque parare
Artibus his solitae, turbas et credula vulgi
Mobilis ambigua fallebant pectora voce.

(*Remedium fuit Incarnatio*).

Non tulit hoc magni proles aeterna Parentis,
Et Stygiis ergo canibus ludibria, dixit,
Semper erit mortale genus, nunquamne vereri
Nos discent manes? audacia Ditis avari
Improba sic impune meos invadet honores
Semper et obscuri plebs ambitiosa profundi
Sic perget sese Superis aequare, Deoque?
Ibo et terrenum lustrabo incognitus orbem:
Nec patrias repetam sedes, caelumve, priusquam
Cerberus et trepidi me regia senserit Orci.
Non vada, non furiae, non ferrea claustra vetabunt,
Nigra per et Phoebi radiis incognita regna
Ferre gradus, horrore tremens ululabit Erynnis
Et cava terrifico quatientur tartara motu.
Flammeus obscuros Phlegethon persuscitat ignes
Saxa rotans, moestoque Acheron qui labitur amne,
Cocytique graves parientia flumina luctus
Et liquor inducens Lethaeae oblivia lymphae
Praecipites sistent cursus, retroque redibunt,
Et sua sulphureos repetent exordia fontes.
Cum mea vox aditus caecos ingressa profundae
Noctis et insolitum penetrabit tartara lumen,
Luce repentina chaos et fumosa barathri
Atria clarescent, ubi pallida frondibus haerent
Somnia: Taenariis revocabo a sedibus umbras,
Insontes umbras patrum, quos longa sub alti
Carceris includunt obscuro vincula circo.
Propterea placidam terris inducite pacem
Sidera qui regitis Divi, qui volvitis orbes.
Ut dum bella gero cum principe gentis Avernae
Sentiat occultam ferri sibi terra salutem:
Iam trepidant, magnoque pavent adversa tumultu
Castra, dies numerat Pluto, tempusque volutum
Colligit, adventusque meos vestigat et ortus:
Nocturnas cogunt acies, cursantque per altum
Aëra et ingenti strepitu mortalia terrent

Pectora, montanos apices atque ardua saxa
Terribili quatiunt motu, pecudumque per ora
Insolitas fingunt voces, Aegyptia pallent
Sollicito simulacra metu, suspirat Anubis:
Fatidicosque legens vates examinat omnes
Pervigil historias et caeli cogitat ignes.

(*Beneficia Christi usque ad Ascensionem*).

Ipse igitur divos linquens et limen Olympi,
Aetheraesque domos Deus ad mortalia regna,
Terrenosque lares, medio dum frigida cursu
Suspiceret cancrum nox inclinata sub ursam
Venit et angustam tenuit praesepia sedem.
Tunc hiberna gelu torpebant arva sereno
Et matutino siccatum frigore gramen,
Perdiderat vernum demissa fronte colorem:
Pigraque nocturnis albebant rura pruinis.
Tunc Rhodopes, Aemique nives iuga summa levabant
Altius et niveo surgebant aggere montes,
Nudaque ramosae tendebant brachia quercus,
Et sylvas Aquilo viridi spoliarat honore.
Praevius Eoa sanctos a Perside reges
Ignis et insolitis radians splendoribus ardor,
Misit ad infantis parva incunabula Christi.
Ipse sub humana velatus imagine mundi
Conditor, ut tetigit matura virilibus annis
Tempora, nascentis iaciens primordia saecli,
Ante quaterdenis ieiunia longa diebus
Pertulit et sacro mox irroratus ab amne
Abstulit errorum tenebras, noctisque profundae
Nubila, longaevumque chaos finivit ab alto
Undique diffundens illatam cardine lucem:
Extinctis oculis aciem, lumenque peremptum
Restituens, opus ignotum, nostrisque negatum
Viribus, aërios tractus, solemque videri
Fecit et insuetum terrae, caelique decorem.
Sicca per aequoreos fixit vestigia fluctus:
Admirata novum credebat Ariona Thetys
Cum cythara curvos inter delphinas euntem,
Mox ubi vi propria tutos suspendere passus,
Vidit et humanis liquidas iter esse per undas

Gressibus, haec non est audax industria dixit
Romanae virtutis, aquae sensere Tonantem:
Haec ait et fugiens imas se torsit in undas.

(*Reliqua beneficia et miracula Christi*).

Imperio ventorum iras, pelagique furorem
Pressit, in excelso Galilaei vertice montis
Ora, manus, oculos et pectora sancta beato
Lumine perfusus patuit Deus, aethere lapsum
Numen et albenti vestitum nubis amictu
Adstitit, auricomi sonuit globus aëris ingens.
Carmine non magico, non vi medicaminis ulla
Defunctos iterum vitam revocavit in artus.
Emigrare leves animas, retroque reverti
Obstupuit, celeresque fremens Pluto induit iras.
Languida quae nulla potis est humana iuvare
Ars ope, per vicos gradiens, per rura, per urbes,
Nunc prece, nunc solo sanabat corpora tactu.
Sancta Dei tenuem pietas induta figuram,
Non pertaesa rudes animos moribundaque membra,
Ferre nec aestivo graciles aspergere plantas
Pulvere, nec luteis vestigia ponere campis
Erubuit, tolerare famem pascique per agros
Graminibus, vitreoque sitim restringere rivo
Dulce fuit, coluitque inopum consortia: tantus
Ardor in accenso regnabat pectore, tantis
Curabat studiis humana negotia, ut ipsum
Aethera iam posset, seseque oblita videri:
Ante ipsam quotquot hominum componere mores
Conati, statuere modum, normamque dedere
Vivendi, vel pro certis incerta fuerunt,
Falsave pro veris, vel non perfecta locuti:
Hinc pater omnipotens animos miseratus inertes,
Atque imbecilles sensus et pectora tarda,
Immensum Eoo reseravit ab aethere lumen:
Progeniemque suam summo demisit Olympo.

(*Enumerat beneficia Dei*).

Haec sunt illa, quibus Deus instaurare caducum
Naturae labentis opus tentavit et omni
Conatus studio veteres avertere morbos.
Ut patrias sordes, crimenque aboleret avitum,

Legit inauditum fati genus, illita fuso
Sanguine et ardenti liventia verbere membra:
Profossumque caput, terebrataque tempora duris
Sentibus erexit miles Romanus in altum
Aëra, frigentes plantas, proiectaque longe
Brachia et humentes oculos et pectus apertum,
Concretosque pio crines, barbamque cruore,
Ingratae moriens plebi monstrabat ab alta
Arbore et ingenti mortem clamore ciebat.
Cuius ad interitum coepere elementa moveri,
Sol gemuit, nigroque caput velavit amictu,
Contremuit tellus, timuit mare, palluit aër,
Et collisa gravi sonuerunt marmora planctu.
Haec fuit atra dies et lamentabile tempus,
Cum subito media tenebris in luce subortis
Lumen in horribilem fugit sine nubibus umbram,
Aurea cum vernus retineret vellera Titan:
Longaque longinquae contraria sidera librae.
Sic est parta salus homini, longaevaque primae
Cum gemitu et lacrymis deleta iniuria culpae est.

(*Detestatur ingratitudinem Christianorum*).

Immemores tanti populus, patresque laboris,
Neglecto Superûm cultu, spretoque Tonantis
Imperio, Baccho indulgent, Venerique ministrant,
Sacra ferunt auro, nummis altaria condunt,
Auro vina libant, auro laquearia fulgent.
Scorta tegunt gemmis, canibus convivia ponunt,
Sordet in exili Virtus incognita veste,
Exuviis inopum culti, ditesque rapinis,
Successu elati Superos, Acherontaque rident.
Propterea hostilis rabies insurgit et ira
Corda micant, maiora novus fert praelia Mavors.
Ausoniae labentur opes: nam claustra Liburnae
Praeteriens angusta viae, per rura Timavi
Quae ferus algenti Gothus descendit ab axe,
Seu qua Piceni superum mare littoris oras
Alluit Epyrum dirimens et Iapygis arva
Turcorum ingentem parvus vomet angulus undam.
Bisque patens expertus iter magno agmine miles
Veloces ascendit equos, sonuere pharetrae,

Cornipedum crebris resonant hinnitibus aurae
Vallibus in mediis et quadrupedante tumultu
Auditur longe strepitus, clamorque virorum.
Sublati quoties aestu rapiente vapores
Alta petunt, piceoque tegunt velamine coelum,
Et nova tempestas, clausisque sonantia ventis
Nubila per coeli tractus volvuntur apertos,
Rugitu ingenti resonans volat aëre grando
Pulsa Noto, Boreave, tremunt cum rupibus Alpes.
Tunc fracta si nube fragor subit ima profundae
Vallis et impulsu nemorum et telluris opacae
Undique comprensus fugit atque repellitur aër,
Aërii montes clamant, magnoque boatu
Antra sonant, Stygium dicas mugire barathrum.
Horrida per campos procul exaudita paventes
Corda ferit gladio strages humana timore.
Tela sonant, longo populatrix agmine turba
Ore, manu, teloque minax, sitibundaque nostri
Sanguinis irrumpit, scopulosa Ceraunia lugent.
Silva vetus Dodona timet, gemuere Molossi
Rura soli, tremit omnis ager: pavet Adria pondus
Classis et adductum peregrino remige Martem:
Trans mare, trans Indos, Nabathaeaque regna nefandae
Gentis in auxilium rutilo volat Eurus ab ortu
Impiger et firmae captat iam littora terrae.
Butroti iam culmen habet, summasque per arces
Dyrrachii stridens frondosa cacumina curvat.
Velaque iam sinuans, proras, aerataque rostra
Vertit in Italiam, salit aequor et unda carinas
Ausoniam versus sensim levat atque secundum
Spondet iter, culpansque moras Neptunia Doris
Per noctem ad nautas ita circum littora clamat:

(*Doris hortatur Turcas ad Italiam expugnandam*).

Tempora, Martigenae, quid idonea perditis? ite:
Ite lares Italos et fundamenta malorum
Romuleas arces et Pontificalia tecta,
Colluviem scelerum, temerate faventibus auris:
Ite citi, quando astra vocant, quando omnia mandant
Numina, flammanti Mavors quid cogitet ore
Cernite, Saturni facies infensa Latinis

Quid velit, atque Iovem laetos non ire per ignes
Suspicite et quo fata vocant, convertite proras:
Aetheriae mentes, quibus est tutela Latinae
Gentis, ab occulto bella haec immissa videntes
Imperio Patris et longa clade esse litandum
Imbelles haerent atque in sua regna furorem
Ire sinunt: Romaque alio fugere relicta,
Caede nova veteres culpas abolere necesse est.
Ecce Tarentinis vacuas in collibus urbes
Et nudas custode domos et littus inerme
Milite deseruit dux Parthenopaeus abacto.
Etruscas populata domos modo trans iuga pulso
Marte, per Aemiliam et Venetos bacchatur Erynnis:
Nec vos immensum dirimit mare, transitus una
Nocte brevis Calabros turmas exponet in agros.
Vix spatio maiore fretum diffunditur istud,
Quam quod adhuc fama notum est Athamantidos Helles:
Et vada Leandri crebro sulcata natatu.

(*Doris docet, Italiam ad Turcas pertinere*)

Ite, quid ambigitis? vobis est debita tellus
Itala, qui Phrygios domuistis et Hellada, gentes
Oenotriae ducunt genus ab radicibus illis.
Quis Pallantaeum? veterem quis condidit Albam?
Hoc opus Aenae profugi, fuit Arcadis illud.
Dardanius Phrygia veniens Antenor ab Ida,
Euganeis latam statuit sub collibus urbem:
Quae superest, triplicique sedet munimine cincta,
Parrhasii Pisas, pubes Spartana Tarentum
Struxit et imperium Daunus partitus et agros
Cum Diomede fuit, cuius tenet insula notum
Nomen adhuc, sunt qui Ausoniam de nomine dicant
Ausonii Laërtiadae de sanguine Ulyssis.
Progeniti, quid Surrentum, Tyrrhenaque dicam
Regna? quibus Lydi frater Tyrrhenus ab agris
Maeoniis Asiae sortes et fata secutus
Attulit et leges alias et nomina fixit:
Et Phaëtonthiades loca per montana Ligystus
Errantes populos domuit: Liguresque vocavit.
Sardoum tenuit littus satus Hercule magno
Sardus et a Graiis Cyrni descendit origo.

Roma Phrygum labor est: Capuanaque moenia, Manto
Filia Dircei vatis post condita tecta
Et Clarii delubra Dei comes addita Lydis
Cum Duce Tyrrheno Venetos adnavit ad agros.
Tibur ab Argolicis positum: Locrensibus Aiax
Auctor, ab Argivis Volsci fundata Coracis
Oppida. Quid scopulis segnes haeretis in istis?
Vestra nec aspicitis sese ostentantia regna?
Arduus Hesperio vobis Garganus ab orbe
Ostentat sublime caput, cum mane colorat
Sol novus oppositos Eoa lampade montes.
Cernimus excelsas umbris in rupibus arces,
Picenisque iugis albentia moenia, clamat
Vos ab oliviferis laetissima collibus Ancon:
Brachiaque in portus pandit sinuata capaces,
Amplexura rates et susceptura benigno
Mahumeti genus hospitio, fautrixque futura.
Gloria vos aeterna manet, generosa nepotes
Facta legent, patrumque volens exempla iuventus
Magna sequi pugnas animosior ibit in omnes:
Et partas augebit opes, natosque per artes
Ingenuas ducet Virtus audita parentum.
Sic vivet longaevus honos et fama superstes
Per populos ibit late. Si Troius heros
Ista per iratum diis adversantibus aequor
Navibus amissis et milite coepit inermi
Arva, quid haec delecta manus, congestaque classis
Foeta armis, animisque ducum, numeroque virorum
Moliri poterit? Longo iam vincitis aevo:
Nec fugere a vestris audet victoria castris.
Vos immane genus Thraces et Marte superbos
Nubigenas, saevoque satas Ixione gentes,
Atque Pelectronios Laphithas vicistis et omnem
Euboeam, Pelopisque domos, altamque Corinthum,
Euxinum pelagus vestrum est et lata Propontis,
Ioniumque fretum, laeto vos Adria vultu
Nunc vocat et fines Thetys quae cingis Etruscos,
Et minor est vobis audacia viribus, ite
Divitias, aurum, pecus et sola pinguia vobis
Hesperii servant, istis audete potiri.

In vetitas non itis opes, in vestra venitis.
Heredis, non hostis erunt Oenotria regna,
Cum vestrae ditionis erunt, modo possidet hostis
Ausoniam, patiturque truces invita tyrannos.
Nocte, dieque gemunt urbes, durumque recusant
Ferre iugum, populi tensis ad sidera palmis
Maturare rogant, ita se finire labores,
Aerumnasque putant et libertate potiri.

LIBER TERTIUS.

(*Introducitur Romulus cohortans Pompeium Magnum, ut succurrat. Ita omnis rei publicae amicus nunc subvenire debet*).

Talibus indomitas mentes et barbara corda
Irritat Dea saeva maris: de littore classis
Solvitur et nostros venit eversura penates.
Chaoniae nostris vicinae finibus Alpes
Acclamant et saxa cavis quae plurima pendent
Rupibus acceptas confuso murmure voces
Conglomerant, nec clara sinunt respondeat Echo.
Magnus apud manes Itala de gente coacto
Agmine Pompeius rogat ad sua moenia mitti
Italiae laturus opem, sub pectore forti
Vivit adhuc patriae pietas, stimulatque sepultum
Libertatis amor, pondus mortale necari
Si potuit, veteres animo post funera vires
Mansere et prisci vivit non immemor aevi
Sollicitusque hisdem curis, quem Romulus aevo
Grandior his acuit dictis: I, magne meorum
Immortalis honos et gloria summa nepotum.
I, commune bonum serva, quando haec tibi semper
Cura fuit, totum pietas tua nota per orbem
Imperio dignum nostrae te fecerat urbis.
Coelo aliter visum est, coelum culpare quis audet?
I, patrium defende solum, quando Itala virtus
Usque adeo cecidit, quando Germania quondam
Armipotens, nunc lenta iacet, nec Caesaris ullum
Audet opus Caesar, genus hoc ignobile gentis
Barbaricae procul Ausoniis a finibus arce.
Te Pontus, te novit Arabs, te Graecia et omne

Aegeum, Ioniumque fretum, te Punica tellus,
Tyrrhenum magnis equitasti classibus aequor,
Te Ligur, Alpinaeque nives, te sensit Hiberus,
Galliaque, et latis ingens Germania campis.
Per freta, per campos victricia signa tulisti,
Regna, urbes, maria et terras felicibus armis
Calcasti, totusque tuos miratus honores
Orbis, ut indigno raptum te vulnere novit,
Ingemuit, flevere Arabes, flevere Sabaei,
Indus et extremi flerunt tua funera Seres.
I, decus Ausoniae, regno suppone cadenti
Ingentes humeros et fortia pectora tantis
Fluctibus opponas, magnae teque obiice cladi.
Communes tutare domos, communia serva
Regna, mea fundata manu, sententia fratri
Ista Remo sedet; id Curii, Deciique precantur,
Id Numa coelicolum cultor, sanctique Catones,
Id Populus, Patresque rogant, ne despice gentem
Nate tuam, viden' ut campis tam multa virorum
Millia praestantum generosis frontibus errent
Elysiis: te nemo tamen praestantior ore,
Non animo melior, nec ad horrida promptior arma.
Te externi, nostrique duces venerantur et ipse
Depositis odii causis, livore sepulto,
Te praefert Caesar, meliorem seque fatetur,
Quandoquidem pietas et nescia rumpere leges,
Dignior et sceptro et regni diademate virtus.

(*Cicero Romulum et Pompeium persuadet,*
mala haec a Deo immissa esse propter scelera).

Hac prece motus erat, mentemque movebat ad artes
Antiquas, artes belli, Martisque laborem,
Cum pater eloquii culto sic Tullius ore
Flexit ab incoeptis animos, coetumque resolvit:

Magne pater nostri generis, tuque optime civis,
Optime Dux, patriaeque ingens pietatis amator,
Quem cives colui ante alios, dum vita manebat,
Ferre urbi auxilium frustra meditamur, Olympi
Ipse pater, qui regna tenet, qui fulmina torquet,
Sic statuit, scelus hanc hominum sibi suscitat iram,
Divisae excitis se seditionibus urbes

Ausoniae lacerant, una intra moenia livor,
Ambitio, nummique sitis corrumpere mores,
Ut coepere pios, nulla est reverentia recti,
Nulla quies animis, nullusque salutifer urbi
Civis, opes patriae rapiunt, aeraria nudant,
Et commune bonum in proprios elabitur usus.
Hae pravae vivendi artes, haec pessima morum
Colluvies, nobis latum qui reximus orbem
Abstulit imperium, Romamque aliena coëgit
Iura pati; serviret adhuc, nisi provida Narsis
Cura redemisset, pulso capitolia Gotho.
Quae rapuit patres eadem fortuna nepotes
Insequitur, viret aeterna sors aspera fronde.
Prospera brumales pluvias et frigora sentit.
Astraque debilibus non fert ardentia ramis,
Atque omnis timet incursus, aevoque senescit
Sponte sua, cum fixa manens, stabilisque putatur,
Occidit extemplo, fugitque infida repente.
Sorte sua utantur, lex est Deus omnibus aequa,
Omne quod a Superis bellum est, revocabile non est,
Sed neque rex Erebi quemquam tranare paludem,
Nec Superis iterum reddi sinit: est pia quae te,
Romule, cura movet, sed subdita legibus Orci,
Nos istis aeterna ligant ergastula campis,
Nec licet ad patrium limen, coelumque reverti.
Felices animae, sedem quibus aetheris alti
Iuppiter indulget, possunt ea fata movere.
Nos orbis quondam Domini servimus Averno,
Fata regunt illae, terrenaque regna gubernant.
Verte alio mentem, nec nos ea cura fatiget,
Sit satis exilio nobis leviore teneri.

(*Enumerantur flagitia quae cladem inferunt*).

His animae dictis coetu siluere relicto.
Interea nostras odiis flagrantibus urbes
Exercent furiae; per rura, per oppida saevit
Martis opus, Petrique domus polluta fluenti
Marcessit fluxu: nulla hic arcana revelo,
Non ignota loquor, liceat vulgata referre.
Sic urbes, populique ferunt, hic rumor ab austro
Cimmerios ultra latices per opaca silentis

Claustra viae, sale concreto, quae plurima crescit
Stiria frigentes Scythiae penetravit in agros,
Venit ab herculeis per Iberum Gadibus aequor
Qua subit excelsam Thetys interflua Calpen
Ad vada Gangaridum, magno qui proxima Gangi
Rura tenent, gemmasque legunt, ea fama per omnem
Iam vetus Europam mores extirpat honestos.
Sanctus ager Scurris, venerabilis ara cinaedis
Servit, honorandae divûm Ganimedibus aedes.
Quid miramur opes, recidivaque surgere tecta?
Thuris odorati globulos et cynnama vendit
Mollis Arabs, Tyrii vestes et muricis imbrem,
Indus ebur, croceum Cilices et Tmolus odorem,
Mel Siculi, ferrum Chalybes, tenuissima Seres
Vellera, Cretenses mollissima vina, Tanager
Pernices mercatur equos, venalia nobis
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronae,
Ignes, thura, preces, coelum est venale, Deusque.

(*Xystum IV Papam cohortatur ad coërcenda vitia*).

Xyste pater, fidei custos, oviumque magister,
Quas bonus effuso moriens in sanguine pastor
Abluit aetatis damnosa licentia nostrae,
Quam veterum semper crescens incuria patrum,
Et sceleri pandens aditum, moresque severos
Aversata parit, tua sentiat arma, coërce
Hanc vitem, ancipiti ramos preme falce vagantes,
Namque feros fructus et tristem frugibus umbram
Fert inculta, iacens Cererem necat, occupat agrum.
Mille sub his latebrae foliis et mille rapaces
Hac habitant sub fronde ferae, vulpesque, lupique
Mitiaque invadunt, laniantque animalia passim,
Sic cicurum genus omne perit, per ovilia regnant
Saevus aper, tigres rapidae, truculenta leonum
Semina, multicolor pardus, gryps naribus uncis,
Et variae panthera cutis, gravis unguibus ursa.
In genus hoc pater arma move, sua pascua redde
Foecundis ovibus, stent ad praesepia tauri,
Qui signata iugis, longoque attrita labore
Colla gerunt, postquam rerum te Roma potentem
Fecit et obscuro iubar hoc resplenduit orbi,

Exanimis virtus scelerum sub mole sepulta
Respirare parum visa est et tollere frontem.
Et nisi tot vitiis haec saecula nostra fuissent
Depravata, boni poterant rectoris habenae
Errantes frenare rotas, sed tantus equorum
Impetus aurigam superat, frustraque retractans
Lora gubernator sine lege per invia fertur.
Propterea sortem doleo mitissime patrum
Xyste tuam, fueras annis melioribus aptus.
Est tibi quae tanto satis est in principe virtus:
Sed velut obscuris Phoebi sub nubibus ardor
Languet et umbra diem piceae caliginis aufert,
Sic tua corrupti vitio clementia saecli
Obscuratur, eunt pessum pietasque, fidesque.

(*Varia regnant vitiorum monstra, sed desunt domitores*).

Lerna palus terra est, vitiorum exercitus hydra,
Alcides nusquam est, ardentem saeva Chimaeram
Monstra tenent, nec adest Glauci castissima proles.
Candida Gorgonei capitis coma fluxit in angues,
Et neque Mercurii prosunt, nec Palladis arma.
Daedaleis inclusa viis Minoia monstra
Passim habitant, crebris uterum quae caedibus augent,
Nec potis est multa ingluviem saturare rapina,
Nec superat Thesea manus: per tecta, per aulas
Harpyiae funesta lues, fluxuque, fameque
Infestae volitant: Boreae genus omne recessit.
Syrenes redeunt et Phoebi filia Circe,
Quae placidos hominum ferali carmine vultus
Vertit in immites formas et in ora ferarum.
Plurima sunt nobis sancti vestigia saecli,
Et gentis monumenta piae, sunt ardua templa;
Sunt sacris congesta patrum sancta ossa sepulcris.
Est fidei caput, est veri latria Tonantis,
Ista sed Hesperidum velut aurea mala dracones
Caerulei servant, (res detestanda) nec ullis
Flenda satis lacrymis, nec me convitia quisquam
Texere causetur, mordaxque excudere carmen:
Haec sunt pro sanctis gemitus, lamenta, dolores
Moribus et Superûm pro maiestate querelae.

(*Culpae cleri. Cf. p. 6*).

Ista movent Superos, vocat hoc scelus aethere ab alto
Bella, famem et diri genus insuperabile morbi.
Heu sortem gregis adversam, sidusque malignum,
Quum custode caret, cum fracto vimine sepes
Nocturnos aditu fures admittit aperto,
Praesertim cum dira fames ieiuna luporum
Intestina premit, rabidique mapalia lustrant.
Praeda sumus, fracto ferimur temone per altum,
Qua furit Oebaliae violentior ira Maleae.
Nunc vada latrantis scyllae, nunc ora carybdis
Radimus et Libycas rapido nunc aequoris aestu
Pellimur in Syrtis, nunc per tua saxa Caphareu.
Pulsa dies tenebris, nubes Erymanthidon ursam
Abstulit, indicium coeli Magneta latentis
Perdidimus, tumet in montes et lapsa remugit
Doris, arenosi saliunt ad sydera fluctus,
Adversaeque undis undae, contrarius Euro
Flat Zephyrus, Boreas Austro, subversa dehiscunt
Aequora et inter se spumis albentia pugnant.
Vicini trepidant agri, pulsata reclamant
Littora, vixque obstant, collisa rebellibus undis.
Ah miserae quae nunc inter cunabula matres
Parvula securo nutritis pignora lacte!
Quot tepidi erumpent oculis turgentibus imbres,
Quot gemebunda premet fessus suspiria pulmo.
Maesta quot attractis salient singultibus ora,
Quum tepido dulces rapientur ab ubere nati,
Atque viris ipso caesis in limine vestrae
Diripientur opes, sparsis cum crinibus ipsae
Praeda eritis, manibus vinctis hostile per agmen
Ibitis, attonito prostrata cadavera gressu
Calcantes, lacerasque comas atque ora cruenta
Vestrorum seu natorum, seu forte parentum,
Atque pio late stagnantes sanguine campos!

(*Orat Deum pro insontibus*).

Summe Pater, coeli saltem cui regia paret,
Singultus audi insontes, fletuque piorum
Flectere: crudeles gladii, saturandaque caede
Spicula primores populi, frontesque superbas,

Oraque blasphemo feriant inflata tumore.
Parce rudi populo maiorum exempla sequenti,
Imbellemque manum salva, qui cetera salvas.
Quid meruere greges? pastorum incuria damno est.
Cerne laborantem freta per salientia cymbam,
Et miseris fer opem nautis, pontumque furentem
Sterne, suis manda ventos liget Aeolus antris.
Fatales properant anni, noviesque voluta
Fert alias leges centeno machina cursu.
Nec Deus has labi aerumnas prohibebit ab astris.
Tempus adest, quod iam venturi praescia vatum
Pectora, fatidicae quod praedixere Sibyllae:
Corripite arma viri dextris, laevasque reflexis
Insertate manus clypeis, Deus odit inertes.
Ecce procul denso nigrescit pulvere coelum,
Sublataeque leves nimbi tolluntur arenae.
Accipient fuscae caedis cava flumina rivos,
Rubraque pampineos imitabitur unda liquores.
Non igitur frustra diros ardere cometas
Vidimus et medio Phoebum pallescere coelo,
Defectumque pati, nigraque in veste sororem
Inter nocturnos ignes incedere moestam.
Tempus erit Parcis celeres glomerantibus annos,
Cum mediis fossor campis tellure subacta
Inveniet, conosque truces et nuda virorum
Ossa, gravesque solo galeas, ensesque sepultos,
Armaque nostra suo non convenientia saeclo,
Atque immutatos rerum mirabitur usus.
Haec properant, dictumque fides non sera sequetur.
Sed steriles, gelidaeque animae quas imbre Megaera
Lethaeo aspergens requie sopivit inerti
Contemnunt, tepidoque trahunt secura cubili
Otia, tractantes lautis convivia mensis.

(*Excitat ad fiduciam in Deum*).

Nubila mens hominum, sortisque ignara futurae,
Terretur vanis et vera pericula ridet.
Non tamen ista minus properant, incredula poenas
Turba dabit, curisque brevi tabescet amaris.
At si tantus amor Superûm, si tanta moveret
Corda virûm pietas, studiis si talibus artes

Ingenuas colerent homines, nec iacta perirent
Semina, nec litui streperent, nec classica cantu
Terribili, nec dira lues praecideret annos.
Nam licet obsequiis opifex lucentia mundi
Astra suis aptans semen, causasque malorum
Ignibus aethereis dederit, coeloque volanti:
Ipse tamen liber, nulloque coercitus astro,
Vultque, potestque piis precibus, votisque suorum
Annuere et coeli flammas cohibere nocentes.
Aspice magnanimum bellatoremque, ducemque,
Qui promissa suum genus introduxit in arva:
Et facilem cognosce Deum, miserisque faventem
Casibus et nostra Superûm prece numina flecti.
Barbara gens populum reducem prohibebat ab agro
Pollicito, contra sumptis Dux impiger armis
Castra movens hostes ingenti strage fugatos
Pressit et infesto turbas dum caederet ense.
Iam nox atra caput velata nigrantibus umbris
Pallentes urgebat equos, lentumque soporem
In terras biiugo secum temone vehebat,
Ne tenebris decepta manus victoris ab ictu,
Caedeque cessaret, Solymis ut gloria maior
Esset et evulsa generis radice superbi
Libera pacificis habitarent agmina campis.
Vota, precesque ducis Deus audiit, atque volantis
Ipse manus Phoebi volucrumque retraxit equorum
Lora Pater, pluresque diem produxit in horas,
Vincendique moras dedit et comes ivit in arma.
Sol stupuit, fixoque diu resplenduit orbe.
Caetera quae coeli Dominum Titana sequuntur
Ordinibus certis sua ne intervalla, vetusque
Sidera mutarent iter et ne curreret orbis
Ordine turbato currus traxere citatos
Et iuga frenatis subito tenuere quadrigis
Solis ad exemplar, regemque imitata quierunt,
Uranie dulci septem discrimina cantu
Quae regit immoto vocem compressit Olympo.
Sic Pater edixit, sic Dii fecere minores,
Sirenesque octo, quibus est data cura movendi
Immortale Dei templum bis quattuor orbes.

Ipse arcem super excelsam, super ardua mundi
Culmina, qua roseum surgens aurora colorem
Explicat, aeterno patrem modulamine laudant,
Cunctaque distinctis aptant mortalia fatis:
Humanis igitur si mitia numina rebus
Cernimus antiquos tantum curasse labores,
Ut tardata polis mundi mirantibus astra
Paruerint homini, credo si nescia labis,
Totaque sub magni imperium collata Tonantis
Semper nostra piis pareret legibus aetas,
Sollicito terrore carens felicibus armis
Mortales agerent sub Diis custodibus aevum,
Nostraque non nimbo metuens, non missa per auras
Ardenti Iovis arma manu, non torva furentis
Ora Noti, Libycum spumans quibus aequor in altum
Tollitur et campis versata liquentibus unda
Serpit in Ausoniam, tyrrhenaque littora pulsat:
Sed neque tecta timens caeco sub gurgite saxa,
Non vada, non scopulos, Turcarum a littore victrix,
Foetaque multiplici remearet foenore classis.

Quomodo Deus placandus sit.

(*Petit id sibi a Musis tamquam Angelis revelari*),

Qua prece placari, quo possint munere flecti
Numina, Castalides, ostendite, numina vobis
Cognita; terrigenûm miserae succurrite sorti.
Dum precor, Uranie, cui sidera nota, Deûmque
Tecta, supercilio sic est effata sereno:
Corpora siderei sicut mortalia coeli
Imperio subsunt et nulla rebellibus armis
Bella audent, sequitur magnes Erimantidos astrum,
Et quo luna iubet fugit atque revertitur unda:
Tempora sol variat, sic mens aeterna parenti
Iustitiam, sanctos mores et laudis honorem
Perpetuum debet, sunt haec gratissima coelo
Orgia et infestis obstare potentia fatis.
Sed postquam liquit terras Astraea nocentes
Fugit et ipse hominum leges, qui condidit ordo.
Temporeque ex illo summi reverentia patris,
Sanctaque divini ruit observantia cultus.
Hi quoque, qui nomen de relligione superbum

Usurpant, quamquam sanctis a patribus ortos
Se iactent, ovium molli sub vellere fraudes
Mente Lycaonias servant et crimine sordent:
Quod speciem virtutis habens scelus omne colorat.
Nec tamen his maculis sordet pecus omne, magister
Ne pereat, quaedam sibi servat ovilia, semen.
Qui prece sollicitant Superos, multoque per omnes
Thure litant aras veniam, pacemque precantes,
Invisi Superis, faedaque libidine olentes.
Heu frustra incestis iterant sacra orgia dextris,
Polluti circum quoties altaria vultus
Conveniunt, celebrantque choros et carmine mixto
Sancta Deûm vanis penetralia vocibus implent:
Irritant, irasque movent, non numina flectunt.
Hac prece nil opus est, nil adiutoribus istis
Auxilii sperate, novis date templa ministris.
Sacrilegum genus ex adytis, templisque Deorum
Pellite, nec longos scelera haec vertantur in usus.
Quid Solymos ritus, quid montibus aemula templa,
Aequatamque iugis molem, longumque per aevum
Limina solemni late celeberrima cultu,
Antiquasque Dei sedes cum moenibus altis
Eruit et pulchram ex imis radicibus urbem?
Sacrificae gentis scelus et contagia passim
In patrias prolapsa domos movere Tonantem,
Qui Romana vocans ad opes et regna suorum
Castra, secundabat cursus, classemque regebat
Ausoniam, stimulosque animis addebat et ignes.
Ipse acies inter tenui circumdatus aura
Versabatur agens animosam in praelia gentem,
Oppugnansque altas arces, scelerata ruebat
Moenia. Coelicolum post longa silentia tandem
Evigilans furor imperiis, regnisque ruinam
Ingerit et celeri pessum trahit omnia caede.
Sicut in antiquas flammis volitantibus aedes,
Quum saevit Vulcanus, eunt laquearia iunctis
Cum trabibus, tabulaeque leves atque ardua tecta
In cineres, longosque rapit brevis hora labores.

(Vetus religio instauranda
et Deus rite colendus; altero Elia Propheta nunc opus est).

Si robusta fides, si spes immobilis, ardens,
Si pietas senis et vitio inviolabile pectus
Afforet, ignicolor, quem lapsus ab aethere currus
Sustulit in Phoebi silvas atque ardua templa,
Ferret opem, possetque instans avertere fatum ;
Ipse sacerdotes Phythonia pectora falsos
Abstulit et longo campis arentibus aestu
Elicuit largum subitis de nubibus imbrem.
Traxit et aethereos superis ex orbibus ignes.
Et nova circumdans liquidis altaria rivis
Quum bove mactato rutilans superincidit ardor,
Et quum dura ferens regis mandata superbi,
Attonitus sensit flagrantia fulgura miles.
Hic antiqua tuae iecit primordia gentis,
Namque rudem tunicam tetrae fuliginis instar,
Cui simplex, expersque artis natura colorem
Fecerat, induitur, per saecula cuncta nepotum
Progenies iussit similem gestaret amictum.
Incola Carmeli primus fuit ipse pudoris
Virginei princeps et vitae coelibis auctor.
Ipse suo sanctos urbes et moenia patres
Linquere et in tacitis servare silentia campis,
Exemplo docuit, solus namque ipse per umbras
Errabat nemorum, pomis contentus et unda.
Gramen ei pro melle fuit, pro nectare lympha.
Sed felix nunc arva colit ridentia supra
Frigoris aërii et lapidosae grandinis oram.
Ille licet gemina vertex aestate quotannis
Sudet et a nobis cum sol declinat in austros
Et cum littorei petit humida brachia cancri,
Scilicet aequali Librae, Phryxique sub astro,
Depresso quoniam multum telluris ab orbe
Tollitur, infestis numquam tamen ignibus ardet,
Purpureos semper flores, spirantibus auris,
Ora tepens semper violas et candida semper
Lilia fert, brevibusque dies absconditur umbris.
Quattuor ex istis labentia flumina campis
Lata rigant Asiae ripis ingentibus arva:

Sunt rigui fontes, vitreosque nitentia rivos
Prata bibunt, tersus semper sine nubibus aër,
Nec quatitur ventis, nec rauca tonitrua frangit:
Brachia pomiferae curvant redolentia silvae,
Pendulaque electri gratum induit uva colorem.
Collibus in parvis, ubi paulum iugera surgunt,
Perpetuas, ramis fecunda feracibus arbor,
Semper habet fruges, quibus et contemnere fatum
Possit et expertem morbi servare iuventam.
Nulla patet curis illuc via, nulla dolori,
Nulla neci, colit ista senex loca sancta beatus.
Atque sub occasum mundi rediturus in orbem,
Non timet interea Parcae ne stamina rumpant.
Hoc sene nunc opus est et te, mitissime vatum,
Cuius ad ingressum rubri salis unda recessit
In geminas rupes, patuit maris alveus ingens
Praetereunte Duce et populo per concava regna
Neptuni, timuit Triton, sonuere cavernae,
Delphines curvi et Phocae fugere natantes,
Subque imas egit Protheus pecus omne latebras.
Si Deus hos nostro miserans concederet aevo,
Dura inter vapidos paterentur iurgia patres:
Usque adeo invisa est probitas, odiosaque Virtus.
Tempore namque isto, vitio datur esse pudicum:
Est scelus esse pium, saecli haec est gloria nostri!
Parce igitur pro gente tua tabescere, vates,
Pone preces, ambire Deos et sidera noli.
Quod coelum, Superique ferunt, mutabile non est.

(*Describit diluvium, cuius causa erant scelera*).

Dixerat Uranie, cum Thespias altera vocem
Extulit et tales est orsa Polymnia cantus:
Hic iuvat antiquam cladem, veterumque dierum
Fata recensere et primaevae gentis ab ortu
Illuviem, repetens missos trans littora fluctus,
Ignotosque prius nimbos et nubila dicam,
Scilicet ut memores iusto sub iudice vestros
Ire dies, certasque sequi post crimina poenas,
Cautius ambiguae cursus et euntia vitae
Tempora curentur, nec inerti pressa veterno
Mens hebeat, sed prompta graves superevolet artus,

Venturamque timens cladem, vicinaque fata,
Mobilium turpi rerum ne se inquinet usu,
Sed solum videat Patrem et reverenter adoret:
Qui sedet et stabilis solo movet omnia nutu.
Cum Pater Oceano sceleratam perdere gentem
Vellet, ad imbriferos errantia sidera pisces
Duxit et officiis aptavit tristibus astra:
Sed tamen ante rudes turbas et barbara regna
Quam subitis deleret aquis, praemisit in orbem
Fatidicum vatem, qui crimina longa piari
Posse, libidinibus si noxia parceret aetas,
Instantesque iras caneret, clademque futuram.
Interea Divûm monitu contexere vastum
Instar montis opus coepit: quo clauderet omne
Quadrupedum, volucrumque genus, stirpemque nepotum:
Formabatque ratem magnis super aequor ituram
Motibus et grandi pressuram Nerea mole.
Clarus adhuc radiis Phoebi lucentibus aether
Splendebat, quum ligna faber, caesamque pararet
Materiem, nondum tellus cognoverat imbres:
Sed crescentis adhuc post prima exordia mundi
Terra patens, proprioque madens humore ferebat
Omnia: proventuque suos meliore colonos
Iugera pascebant, gravioraque semina culmos,
Pomaque maiori curvabant pondere ramos.
Tunc etiam virides animalia tuta per agros
In longos ventura annos, aevumque senile
Gramina tondebant, nondum violata pruinis
Nec gelidas experta nives, sed mitia Veris
Tempora et assiduum placidissima frigora rorem;
Nondum Lampeties Ithacis armenta colonis
Obfuerant, nec fixa veru versaverat exta
Geriones, nondum fuerant magalia, necdum
Raptor Aventinos macularat sanguine colles:
Impia nec caesis vivebant saecula bobus.
Tunc igitur populi indociles, ignara Deûm gens
Mirantes ratis immensam consurgere molem,
Consilium sprevere viri, nec dicta putarunt
Digna fide et sanctum senis irrisere furorem.
Ecce niger piceis velatur nubibus aër

Et Phoebi lux alma diem diffundit opacam.
Iam coelum insolitis reboat mugitibus, ingens
Nimbus adest, fugere ferae, fugere volucres:
Flumina certatim tumidis Nereides undis,
Et freta tollebant, nigro pallentia coelo.
Nubila conglomerans pennis rorantibus Auster
Aethiopes, Libyamque super stridente volatu
Ibat et excussis ardebant ignibus aurae.
Aeoliae tremit omne solum, furit Aeolus, antra
Fracta sonant, factoque volant procul agmine venti.
Contremuere urbes, tristes per rura coloni
Cogere ab imbre greges, stabulisque armenta tueri
Dum properant, crescentis aquae lata aequora cursus
Impediunt, frustra pecudes balatibus agnos
Sollicitant, frustraque vocant sua parva capellae
Pignora, convellunt frondosa cacumina Cauri:
Diripiuntque casas, volitantque per aëra culmi.
Attonitae matres strictis ad pectora natis
Ardua tecta petunt, iuvenum robustior aetas
Annosas scandunt quercus, fugiuntque repente,
Quo nulli fugisse datur, confusa per urbes
Infantum, iuvenumque sonant lamenta, senumque.
Itur in excelsas turres et summa domorum
Culmina: Neptunus spumans, ultricibus undis,
Insequitur miseros, arctant praesentia fata.
Imbre madent tunicae, porrectis crinibus unda
Liquitur: Oceanum dicas ex aethere labi.
Et lacrymae miscentur aquis, ad nubila frustra
Tolluntur cum voce manus, sua numina quisque
Clamat: in erectas Boreae violentia frontes
Nimboso spuit ore tonans et verba precantum
Suffocat, ne forte Dei referantur ad aures.
Iamque superfusum campos absconderat aequor,
Nulla fugae superest, superest spes nulla salutis.
Haec vada non gressu, non sunt tentanda natatu:
Et iam montanis veniunt qui e fontibus amnes,
Et quae per campos latis vada concava ripis
Magna mole fluunt, gremio complexa capaci,
Vix tanto satis est oneri Neptunia Doris.
Iam solae extabant, excelsa cacumina quondam,

Nunc humiles, mersaeque altis in fluctibus Alpes.
Utribus innixi, tabulisque ad pectora tractis
Complexique trabes haustum saepe ore vomebant
Oceanum, tandem victi oppugnantibus undis
Ora sub immensos mergebant pallida fluctus.
Vallibus ex imis profugos qui summa tenebant
Culmina, montanosque apices, cum Nerea semper
Alta magis petere et plenis de nubibus imbres
Certatim ruere et iam mortem instare viderent.
Poenituit tandem, serasque dedere gementes
Nequicquam lacrymas et fallere numina votis
Consueti, quum vota darent, ridebat Olympus.

(*Prosequitur descriptionem magni diluvii*).

Flumina non norant ripas, nec littora fluctus;
Aëriae volucres humore madentibus alis
Praecipiti casu lapsae cum brachia multum
Iactassent pelago, fatum tandem ore trahebant.
Fugerat in latices Rhodope, magnusque latebat
Apenninus aquis, nigro sub gurgite summum
Presserat Ossa caput, non apparebat Olympi
Altus apex, ipsis avibus non pervius ante:
Tunc tamen et curvis ratibus (si forsitan illa
Aetas usa fuit ratibus), pecorique marino
Pervius, aequoreo quae numquam tingitur imbre
Vicinis timuit mergi sub fluctibus Ursa.
Apta prius bello atque armis procera Gigantum
Corpora cum parvis, turba cum paupere reges
Purpurei nabant sine maiestate supinis
Pectoribus, merso sub gurgite foemina vultu,
Diffusisque freto vittis et crinibus ibat.
Involvit sors una omnes discrimine nullo.
Gryphes, equi, damae atque canes, cervi atque leones,
Agna, lupus simul errabant, certamina litis
Mors dirimit, certamque dies parit ultima pacem.
Iamque homines, iamque unda feras populata fluebat
Libera, non scopuli, toto non insula ponto,
Nec Cyprum Venus alma videt, nec Delphica Phoebus
Templa, nec Alcides Thebas, nec Cynthia Delon,
Nec Iuno sua rura Samon, nec Gnosia regna
Iuppiter, extincta fugit Vulcanus ab Aetna:

Quamvis claudus erat Triviae vicina petivit
Atria, praepetibus pennis, celerique volatu.
Nec cupressiferam Cyllenen aspicit Hermes,
Nec Tyberim Mavors audax, tegit omnia pontus.
Protheus et Doris, Glaucus, Matuta, Palaemon
Cuncta tenent, Pindi phocae videre cacumen.
Occiderat tellus, ignis, Neptunus et aër
Mundus erat: Cererem Tethys amplexa premebat
Undique, Neptunum quartae reverentia sortis
Non metuit violare domum, thalamosque sororis
Herbiferae, tentare etiam Iunonia regna
Non metuens auras spatio breviore coëgit.

(*Arca tandem ad Armeniae montes appulsa est*).

At ratis omne vehens animal terrestre per altum
Ibat et obiecta dirimebat corpora prora:
Atque videns utrumque polum sublimior ipsis
Nubibus aethereum per iter, qua casus agebat:
Nunc Zephyros contra errabat, nunc Solis ad ortus,
Nunc Austros, nunc usta petens Aquilonibus arva,
Donec in Armeniae rupis delata cacumen
Iam retro labente mari vestigia fixit.
Nam Pater excelsa mundum speculatus ab arce,
Ut genus humanum salvo vix semine vidit
Interiisse, fretum iussit cessare, nec unquam
Amplius Aegeon dixit montana reviset
Culmina, nec scyllae Glaucus iungetur in altis
Montibus, extremae lustrabunt caetera flammae:
Cum vetus ingenti tellus arsura camino
Absorbebit aquam pelagi sitientis et ipsos
Aethereos montes camporum aequabit arenis,
Tunc altos mortale genus volvetur in ignes,
Immensumque dabit volitans vaga flamma fragorem,
Et fornace gemens mundus fumabit eadem.
Nec tamen haec Phaëthontis erunt incendia, Phoebo,
Quae, nolente, crement orbem: tunc omnia vires
Astra suas iurata dabunt et nostra facessent
Imperia atque alias alio pro crimine poenas
Gens humana luet, cinerem solventur in atrum,
Quae mare, quae tellus, quae corpora possidet aër,
Nec tunc ulla virûm flammas industria vincet.

Haec dicente Deo, nubes fugere, Notusque
Occidit et pulsus claris Aquilonibus Auster.
Iam Taurus iuga tollebat deformia limo;
Lentus et ex altis stillabat frondibus humor.
Semisepulta inter cumulos humentis arenae
Corpora siccabant aurae, passimque abeunte
Rupibus in summis haerebant aequore conchae.
Iam claro rutilans ardebat lumine Phoebus,
Monstrabatque procul discussis nubibus Idam,
Turribus ex altis primum Titana videntem.
Riphaeas arces Lyciae, Cilicumque superbis
Aggeribus frontes, Athon et Rhodopeia saxa,
Et Casias moles, magnique cacumen Olympi,
Atque Pyrenaeos apices, Athlantaque magnum.
Ex alta senior specula caput extulit album,
Telluremque videns: Salve sanctissima, dixit,
Terra hominum, pecudumque parens, faecundaque nutrix,
Quae frugum genus omne paris, quae vulnera tergo
Infinita pio pateris, quo pignora pascas.
Tu rapidos ignes, elementaque caetera fixo
Limite, tu coelos sicut gravis anchora puppes
Inconcussa tenes, pedibus tua mitia nostris
Pectora substernis gaudens et moesta capaci
Membra sinu defuncta foves, siccare, tuamque
Accipe progeniem, pelagi tot casibus actam,
Longaque perpessam angustis incommoda tectis.

(*Quomodo Noe tandem ex arca egressus est*).

Haec ait et pressas valles speculatus, aquosos
Vidit adhuc campos, nebulasque errare cadentes
Arva per, et lento circum iuga serpere gressu,
Et prono petere ima gradu, Zephyrisque fugari
Lenibus et sensim notis sua flumina ripis
Restitui et pressos sua littora quaerere fluctus.
Tum pater ingentes rupto sibi limite portas
Oceanus fecit, per quas ire atque reverti
Posset et imperio Lunae labi atque relabi
Motibus alternis, mediasque revisere terras:
Tunc gelidi sinus Euxini, tunc alta Propontis,
Ioniumque fretum, longis quod fluctibus altum
Currit ad Atlantem, solidis tum Caspia ripis

Colligere occultas coeperunt aequora venas,
Fluminaque et missos Scythicis de vallibus amnes.
Tunc Arabes inter campos, Nilique lacunas
Se late mare diffudit, tunc Persica Doris
Est ingressa solum, merces latura per Indos.
Tum quoque Maeotis latam diffusa paludem
Fecit et immenso glacies induruit orbe:
Despiciens iterum sublimibus alta fenestris
Protulit ora senex et circum lumina vertens
A ciliis pendente manu deprendit Araxem
Finibus includi propriis: Tygrimque volantem.
Sic ratus Euphratem, sic est ratus ire Niphatem,
Sic Rhenum, Venetumque padum, Rhodanumque, Ararimque,
Sic Thermodontem dubiis e fontibus ortum,
Et latos Hypanis latices bisaporis et Istrum.
Sic vada Iordanis, sic Nili flumina septem,
Et sua qui nigris dat nomina gentibus Indum,
Immixtumque fretis, solumque Borystenis amnem:
Tunc etiam nitido coelos incedere vultu,
Et Phoebi occasum croceo splendore rubentem,
Humentisque Noti flatus cessasse nocentes,
Contemplatus: Habent, dixit, bella aspera finem,
Et tandem maris et coeli cecidere furores.
Mox reserata videns bipatentibus ostia valvis
(Namque Deus limen, quod clauserat ante, reclusit)
Omine frondiferae laetus redituque columbae,
Servata cum plebe senex exivit et agris
Restituit pecus et nemori genus omne ferarum,
Et levibus pennis volucres abiere per auras.

(*Subiungitur Abrahae historia*).

Finierat tali responsa Polymnia cantu,
Altera cum docti nutu soror annuit oris,
Et placidam Clio surgens extollere vocem
Coepit et exemplum prisci memorabile dixit:
His adiunge senis, qui marmore primus acuto
More sacerdotum Phrygiae pudibunda Cybelis
Membra secans, magno dedit orgia grata Tonanti,
Ipse pater sanctae fidei, pater ipse timoris.
Hunc habeant tua saecla ducem, sic flectere coelum,
Sic mutare Deos poterunt, sic fata movere.

Tu Dea dic, inquam, tuus hic labor, ipsa capaci
Mente tenes, vitaeque memor monumenta prioris
Cernis et annales aeterno pectore servas,
Cunctaque praeteriti memoranda negotia saecli:
Tunc Dea virgineos oculos, frontemque venustam
Movit et in coelum versis ita vultibus orsa est:
Da pater ingeniis lumen, da cordibus aures,
Et chaos humanis caecum de mentibus aufer,
Oblitosque novas sordes laudata priorum
Facta sequi, patrumque vias concede nepotes.
Mox ad me conversa suoque innixa sedili
Talibus historiam coepit percurrere dictis.

(*Patria, studium, peregrinatio, fides etc. Abrahae*).

Clara iacet tellus ultra Babylona superbam,
Quam veteres ideo vestri dixere Medamnem,
Quod geminos inter late diffunditur amnes:
Scilicet Euphratem, Tigrimque e fontibus hisdem
Progenitos et mox disiunctis flumina ripis
In duo divisos, quorum secat illud Eoas,
Occiduas aliud partes, longoque meatu
Per nigros Arabum populos versata rubentes
Ingrediuntur aquas et se cum Doride miscent.
Terra igitur fluviis prius intercepta duobus,
Frugum terra ferax, argenti dives et auri:
Quae nimio neque sole calens, neque frigoris aestu
Pressa gravi tepet aeterno placidissima vere:
Indiga lympharum tamen est, paucisque rigatur
Fontibus, assiduo pascuntur gramina rore.

Haec hominum sublime genus, clarosque virorum
Fert animos, Divûm sacris aptissima rebus
Pectora, caelestesque vias et sidera doctos,
Quos dixere Magos, etiam per Persidis agros,
Phoenicumque domos habitant et Agenoris arva:
Hos antiqua Tyrus novit, piscosaque Sidon.
Terra tamen gemino primum quae clauditur amne,
Hos tulit et primos horum sibi vindicat ortus.
Hac igitur de gente satus gratissima caelo
Progenies, magnique sagax Abramus Olympi,
Cognitor errores varios damnavit et aras
Indigenae gentis, veras namque ipse per artes

Illapsuque Dei monitus diversa negavit
Numina, sed solum summa confessus in arce
Esse patrem rerum artificem, mundique magistrum:
Abstulit et fati leges et inania iura
Fortunae, casusque levis damnabile nomen,
Aeternosque docens, animos post funera, dixit,
In requiem et vitae patriam melioris ituros:
Qui veriti Numen, Maiestatemque Tonantis,
Clausissent sine labe dies et sancta sequuti,
Quae generi dedit ipse suo, mandata fuissent.
Propterea falsis assuetae legibus urbes,
Ut nova tradentem populo mandata, Deosque
Tollentem novere virum, communia sanctum
In civem vertere odia, infensaeque fuerunt,
Qualis Socraticae quondam gens Attica voci.
Id metuens natale solum, patriamque reliquit,
Regnaque Sidonio petiit contermina ponto.
Rex erat Assyriis Ninus atque Semiramis uxor
Extincti post fata viri victricibus armis
Protulit imperii fines per Bactra, per Indos.
Inachus Argivam parvo post tempore gentem
Rexit et Inachia cum Iuppiter Iside captus.
Tunc Atlas humero caelum tulit, igne Prometheus
Humanum madido formans in pulvere corpus
Contigit et venas vitalibus imbuit auris.
Nondum Roma suum Tyberim, nec magna futurae
Troia parens Romae Xanthi cognoverat undas.

(*Reliquae partes historiae Abrahae*).

At cum dura fames agros et moesta teneret
Regna Palaestinae, mutata sede petivit
Niligenas, felixque solum, quod pinguibus undis,
Horrea centeno latissima foenore complet.
Tunc rudis Aegyptus campos et dura colebat
Iugera, nec causas rerum speculata latentes
Noverat, aeterno currentia sidera motu.
Lanigeros curare greges, cava cymbia dulci
Lacte coronare et mites nutrire iuvencos:
Tunc communis erat labor, hoc Aegyptia pubes
Exercebat opus, glebasque domabat aratro.
Traxit ab his curis animos Abramus et altam

Suspiciens arcem mundi : Cognoscite, dixit,
Aethereos ignes et non mortalia magni
Templa Patris, sanctique operis sanctissima signa,
Artificemque Deum, qui sidera calcat et ipsam
Grandibus infusam membris, cognoscite mentem :
Neu sinite aeternos animos assuescere terrae,
Laetarique luto et rebus gaudere caducis.
Terra perit, pereunt undae, mutabilis aër,
Intereunt ignes, semper durabile coelum
Permanet et nostris animis habitacula servat.
Ob scelera et culpas hominum, ritusque nefandos
Impia diffuso perierunt saecula Ponto :
Ob scelera et culpas hominum, ritusque nefandos
In cineres ibit tellus, tenuemque favillam :
In superos estote pii, satis ampla feretis
Sacra Deo, templisque suos reddetis honores,
Quum sine sorde preces et labe carentia vota
Offeret intactum maculis et crimine pectus,
Iustitiam, moresque pios offerte, litari
His sibi vult Pater, infractus licet irruat orbis :
Virtutes, animique manent, benefacta supersunt
Semper et arbitrio Deus omnia iudicat aequo.
Vivite virtutum memores, virtutibus aether
Scanditur et summos, quos cernitis, itur ad orbes.
Haec populis praecepta ferens Abramus Olympi
Explicuit cursus omnes, bissenaque signa,
Quae variant nitidum stellati limitis orbem,
Innixasque fretis terras, pontumque teneri
Aëre, sublimes ferri circum aëra flammas,
Astra ignes circum super ardua culmina mundi
Aeternum regnare Patrem, sceptrumque tenere.
His superaddiderat prolem post longa futuram
Tempora, quae renovet meliori saecula lege.
Rura petens iterum proli promissa futurae,
In primos, quos ante fame regnante, penates
Fugerat, argenti locuples remeavit et auri :
Et cum rege loci percusso foedere gressum
Cum consorte thori, servorumque agmine magno
Fixit et Assyrios implevit ovilibus agros.

(Quomodo promissio facta est Abrahae et quomodo hic filium iussus est immolare).

Tum primum coeleste genus sub imagine visum
Creditur humana, quum forte sub ilicis umbra
Frigora captaret, venientia numina vidit:
Unum quod dulcem nati praediceret ortum,
Et duo, quae flammis ruerent coelestibus urbes,
Infames vitiis urbes et sulphure dignas.
Et quoniam mater ventura senilibus annis
Pignora subrisit, materni nomina Risus
Induit auspiciis oriens felicibus infans,
Spes generis, coeli Proles habitura favorem,
Et longos visura dies, magnamque datura
Progeniem, visura Deum, visura Tonantis
Semina, de seris exire nepotibus olim.
Pulcher et eximiae divino frontis honore
Praeditus, undenos iam bis puer egerat annos:
Quum Deus Abramo dedit haec mandata fideli:
I celer, ut nostrae dulcem tua pignora Risum
Sacra feras arae, summi pete culmina montis,
Compositisque super truncis altaria flammas
Subiice et arrepto nati pete guttura cultro,
Accensosque super ramos effunde cruorem.
Impiger ostensum cara cum prole cacumen
(Struxit ubi celsam templi rex tertius arcem)
Solus adit famulis umbrosa in valle relictis.
Saepe patri dixit iuvenis: tibi culter et ignis,
Victima nulla tamen: suspiria longa paternum
Pectus agens; Nostris (inquit) lectissima flammis
Victima mox aderit, lacrymaeque per ora cadebant.
Et iam multiplici stabat rogus arbore grandis,
Subiectisque novae rutilabant ignibus arae:
Quum pater aetherei reserans mandata Parentis,
Talia vix pressis nato singultibus inquit:
Care puer, dulcis vitae mihi dulcior annis,
Quem mea clausurum sperabam lumina, cuius
Auxilio leviter senii grave pondus inertis
Laturus fueram, mea spes, mea, nate, voluptas,
Ob decus egregium formae, teneramque iuventam,
Ingeniumque pium, sacrisque accommoda rebus

Corda, videbaris longo dignissimus aevo:
At secus est coelo visum, summoque Tonanti.
Sicut mira tibi fuit et coelestis origo,
Sic memoranda tuum renovat miracula funus,
Sanctaque felici mors non discordat ab ortu.
Non morbo, seniove cadis, non occidis hoste,
Hostia coelitibus fies, manibusque paternis
Mite feres mortis genus hoc, invita, tremensque
Tristibus officiis accedit dextra, pavetque
Pectus et immotis frigent praecordia fibris;
Sed Superum mandata sequi et parere necesse est.
Nec te dura brevis moveat praesentia fati,
Quando tibi melior dabitur vita aethere in alto.

(*Prosequitur responsum Isaac*).

Hac pater illacrymans, caraque in imagine nati
Lumina defixus minuebat voce dolorem.
Filius haec contra: Pater haec suspiria pone,
Pone pater fletum, si quidquam fata doloris,
Funera si quid habent poenae, fugit ocius Euro.
Ergo Dei sortem potuisti credere nato
Difficilem? tenerisve fui sic doctus ab annis?
Hos puero mores pater, haec praecepta dedisti?
Intrepidus fati genus hoc reverenter honestum
Suscipio, nec me flammae, nec vulnera terrent.
Immo ego me frustra genitum et vitalibus auris
Contra iura frui credam, si iussa pigeret
Ista pati; mea membra Deus melioribus auris
Imbuet, interea donec nova venerit aetas,
Pace fruar placida, patrum cum mitibus umbris
Te expectans, tua namque iterum pater ora videbo.
His pater in fletum dictis prorupit et ibant
Ora per et barbam lacrymae, cecidere trementi
Arma manu, cum sic iterum puer ora resolvit:
Quid patris et nati tantum te nomina terrent?
Quid te falsa ligat stultae pietatis imago?
Est pietas suprema Deo parere, nec ullum
Gratius est sacrum, nec victima sanctior ulla.
Anne doles, tua quod Superis sit et aethere digna
Progenies? quid adhuc trepidas Abraame? quid haeres?
Quid tam felici fraudas tua pignora sorte?

Redde Deo, precor, hanc animam terrena perosam,
Eripe me tenebris, aditumque ad sidera pande.
Prospicit ex alto Deus haec spectacula coelo,
Hasque moras dudum et dextram miratur inertem.
Sic ait et molli denudans guttura veste,
Post patrem rutilos puer accedebat ad ignes.
Iam pater ardentes plorans ascenderat aras,
Nudatoque pium nati caput ense petebat,
Quum Deus amborum motus pietate, ministro:
I, dixit, celer, et veniens clamabat ab auris:
Pone, pater, cultros, mitem ne interfice natum,
Sat tua nota fides, pietas tua cognita coelo.
Iam satis est; cessa, gratam nobisque, tibique
Progeniem serva et matri sua pignora redde,
Obiecitque caprum gladio, qui cornibus altis
Vepribus haerebat, tenuique evanuit aura.

Auctoris peroratio, carminisque conclusio
(*Cohortatur mortales ad resipiscentiam*).

Cernis ut indomitis hominum cervicibus instet,
Ira Deûm, durasque terat quo turbine frontes:
Aspicis, ut subiecta fovens et sancta gubernans,
Corda pius Pater aequali regat omnia lance.
Nos igitur quos tot surgunt immania contra
Signa, tot hostiles vultus, truculentaque torvis
Ora oculis, qui tot devastatricia monstra,
Perque agros, passimque ipsas errare per urbes
Cernimus et nostris instare pericula rebus,
Si gravibus moniti exemplis oracula Divûm,
Et responsa Deûm sequimur, nec Flumine Sacro
Poenituit prima fusos ab origine crines,
Clara soporatas illustrent lumina mentes,
Lustremusque animas, humiles in sancta feramus
Templa preces, exempla patrum meliora sequuti:
Purior interea depulsis nubibus aër
Induet antiquos vultu ridente colores:
Grana ferent sulci, dulcesque racemifer uvas
Palmes et alma Ceres, mitisque favebit Iacchus:
Atque salutiferis immissae flatibus aurae
Innocuos coeli tractus, sinceraque reddent
Atria, fatifero passim moriente veneno,
Bellaque, composita cessabunt horrida pace.



(In horto publico Mantuae)

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magist.

IMPRIMATUR
† Ioseph Ceppetelli Patr. Const., Vicesg.

INDEX

LIBER II.

LIBER III.

EIUSDEM AUCTORIS

Acta Capitulorum Generalium Ordinis FF. B. M.V. de Monte Carmelo cum Notis praesertim R. P. Ben. Zimmerman. Vol. I. 1318-1593, pp. 654 in-8 gr. Romae 1914 L. 10.

(P. Savio in) *Civiltà Cattolica* 5 Aprile 1915 dicit: « Una eccellente contribuzione allo studio della storia degli Ordini religiosi in generale e dell' Ordine Carmelitano in particolare..... L'opera potrà servire non solo per la storia sì interna che esterna dell' Ordine, ma ancora per la storia di tutti i luoghi, dove già esistettero conventi Carmelitani ».

Analecta Ord. Carmelitarum. Vol. I, Romae 1909-1910. (Historia Ritus O. Carm. Origo Provinciarum Ordinis. Series Conventuum. Flores Sanctitatis. Viri illustres. Chronicon Ordinis etc.) pp. 688 in-8. A dorso linteo religata L. 10.

— Vol. II, Romae 1911-1913 (Finis historiae Ritus. Viri illustres. Flores sanctitatis. Status Ordinis anno 1600 etc. Documenta antiqua de S. Scapulari etc. Chronicon Ordinis) pp. 640. A dorso linteo religata L. 10.

— Vol. III, Romae 1914-1916 (Viri illustres. Flores Sanctitatis. Status Ordinis durante magno Schismate. Acta Capitulorum Prov. Lombardiae 1328-1398. Conventus Romae. Documenta antiqua de historia Ordinis. Status quaestionis de Patriarchatu S. Eliae cum novo documento. Chronicon Ordinis) pp. 480. A dorso linteo religata L. 10.